



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

December.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)



DECEMBER.
IN FESTO S. NICOLAI
EPISCOPI.

CONCIO PRIMA.

Euge serve bone; Matth: Cap. 15.
Eleemosynam dare, qui superflua habent,
tenentur.

Thema.

Textus.

Exordium.

Hominum communis opinio est, eleemosynam dare, pauperibus subvenire, esse liberæ suæ voluntatis ac dispositionis; si pauperi aliquid elargiuntur, non dubitant, se bonum opus facere, & promereri, si verò non dant, etiam non peccare, aut demereri: quod utiquè erroneum valde est iudicium; conabor ergo hâc Concione demonstrare; divites, abundantes, de superfluis teneri eleemosynam dare, ac indigentibus subvenire; adeòque non esse liberæ suæ voluntatis, dare, vel non dare, sed teneri ex præcepto, consequenter eleemosynam dare omittentes peccare, & demereri. Probam incipio Sacræ Scripturæ textibus: *Divitibus huius sæculi præcipe, facile tribuere*; hortatur Paulus Timoth. ep. 1. cap. 6. & iterum 2. ad Corinth. cap. 8. scribit ad divites, & superflua possidentes: *Abundantia vestra illorum inopiam suppleat, ut & abundantia vestra inopia sit supplementum.* Ecclesiasticus pariter hortatur cap. 4. *Declina sine tristitia aurem tuam pauperi, & redde debitum*; debiti nomine S. Hieronymus eleemosynam intelligit: Verba S. Pauli ad Romanos 13. sic interpretantis: *Reddite ergo omnibus debita: Potest etiam elce.*

Textus Sacrae Scripturæ.

A

eleemosyna debitum appellari. Audiamus de super plures SS. Patres: Ad iustitiam pertinet illud, quod superest, distribuere indigentibus. Concionatur S. Thomas de Villano. Dom. 4. post Pascha. Admonendi sunt, qui jam, quae possident: misericorditer tribuant, ut a caelesti Domino dispensatores se positos subsidiorum temporalium agnoscant, & tanto humiliter prebeant, quanto aliena esse intelligunt quae dispensant. S. Gregorius parte 3. pastor: admoniti: 21. Dispensatorem conservorum te ex Dominicis facultatibus esse cognosce, nec existimes, quod omnia ventri & deliciis tuis terra producat; quae in manibus habes, commissa tibi magis, quam concessa cognosce. Perorat S. Ambrosius in cap. 4. Ecclesiastici. Opes cum sint ad solam necessitatem datae, si caetera non impertiuntur pauperibus, cum iniquitate tenentur. Scribit S. Bernardus super mammonam iniquitatis: tom. 2. serm. in Dom. I. post Pentecost. Concludo cum Vincentio Bellovacense in speculo morali: lib. 3. d. 19. part. 10. sic de danda eleemosyna scribente: Est sub precepto legis naturae, & legis divinae, & etiam legis positiva; lex enim naturalis praecipit proximum diligere, nec tantummodo affatu, sed effectu. Divina gratia S. Spiritus implorata, de super Conceptus pandam.

CONCEPTUS I.

Nemo negat, ad proximum diligendum quemvis ex precepto obligari, sic Salvatore praecipiente: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Dilectio vero ut vera sit, opus requirit: sic docente S. Joan. Ep. 2. c. 3. *Non diligamus verbo & lingua, sed opere, & veritate.* Si ergo dilectio proximi in re, & opere est preceptum, ergo proximo indigenti de superfluis eleemosynam dare, est preceptum, est obligatio, est debitum. Ita docet S. Thomas 2. 2. q. 71. cap. 1. *Hac in precepto sunt, (de eleemosyna loquitur) quatenus dilectio proximi, est in precepto.*

CONCEPTUS II.

Hugo Cardin. in Pl. III. observat; Eleemosynam, & opera Charitatis in Scriptura, idem, quam iustitiam sonare: sic Matth. cap. 6. Christus hortatur: *Attendite, ne iustitiam faciatis coram hominibus; Scilicet, eleemosynam;* unde verba Pl. 33. *Accipiet misericordiam,* 70. legunt: *Iustitiam,* Hebraeus: *Eleemosynam,* quasi eleemosyna idem sonet, ac datio ex Iustitia. At datio ex Iustitia, non est datio liberi arbitrii, sed est datio ex debito; & precepto, ergo ele-

eleemosynam dare de superfluis, est præceptum; Indicant hoc verba Eccles. cap. 4.

CONCEPTUS III.

Eleemosynam pauperis ne defraudes: Quæ verba ita explicat Dionysius Carthus. *Injustè non subtrahas pauperibus, quod tibi superfluit, & ipsi indigent*: Nunc autem fraus & dolus, actus est contra iustitiam. Audiatur S. Augustinus: *Aliena rapere convincitur, qui superflua pauperibus non elargitur*. Et S. Chrysost. tom. 2. Conc. 2. de Lazaro habet: *Non solum rapere aliena, verum etiam tua non impertiri cæteris, & rapina est, & fraudatio, & spoliatio*. Ergo de iustitia est, debitum est, de superfluis dare eleemosynam. Eleganter in hunc finem perorat S. Ambrosius: *Indigentium panis est, quem detines, nudorum vestimentum est, quod recludis; pretium captivorum est pecunia, quam abscondis; ideo tor indigentibus injuriaris, quot subvenire potes, nec subvenis, nam ideo Deus concessit uni multa, ut bona erogationis præmia consequatur*.

CONCEPTUS IV.

S. Joannès Chrysostomus hom. 37. ad Populum: *Superflua habentes, procuratores & dispensatores Pauperum intitulat: Tuorum rerum o homo es dispensator, non minus quam qui Ecclesia bona dispensat: Non ad hæc recepisti, ut in delicias absumeres, sed ut in eleemosynas erogares: nunquid non tua possides? res sunt tibi creditæ sive ex labore, sive ex hereditate possideas*. Naturali enim jure, uti observat S. Thomas de Villanov. in Dom. 4. post Pascha: Bona mundi omnibus hominibus sunt communia, & solum jure gentium Dominium hujus vel illius rei in Petrum & Paulum transit, non quidem in integrum, sed solum ad statum decentiam & indigentiam; quod superfluum est, ad pauperes spectat, titulo juris naturalis, cum & pauperes sint creaturæ ad imaginem Dei, Deus verò indifferenter ad usum & sustentationem imaginis suæ, hominis inquam; qua providus Pater omnia creaverit. Ergo superflua divitis, non sunt sua, sed est portio pauperum titulo juris naturalis, & ex præcepto. S. PP. de super audiantur: *Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis, quod enim commune est, in omnium usum datum, Tu solus non usurpas, omnium est terra, non divitum*. Ita S. Ambrosius lib. de Nabuchod. c. 12. Quam bellè scribit S. Thomas à Villanova de S. Martino Confessore: *Et unde obsecro illa tua sunt? scilicet tu illa? ideo tua, quia usurpasti ea tibi, nam omnibus communia*

4 IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI.

munia creavit altissimus. An tibi soli terra germinat herbas? arbores ferunt fructus, bruta generant fœtus? propter pacem, meum & tuum lege permittuntur, hęc conditione, ut, qui abundaverit, indigentium penuriam suppleat, si non supplet, raptor & homicida est, quia, quem non pavisti, occidisti, que non dedisti, rapulisti.

CONCEPTUS V.

S. Basilius hom. 6. in detest. Divites superflua possidentes, pauperum ac indigentium cœlum nominat: explico hanc S. Doctoris assimilationem ex cap. 1. lib. Genes. hęc legitur, Deum creasse cœlum & terram, cœlum ditissimum, sole, luna, stellis fulgens, econtra terram pauperem, *Terra erat inanis & vacua.* Iterum: Locum unum in terra fecit Deus aquis abundare; centum alias partes terrę ex penuria aquę arefcere: *Congregentur aquę, que sub cœlo sunt, in locum unum, & appareat arida.* O Deus optime! ad quid cœlum tam dives est? partem unam terrę abundare fecisti aquis? fors cœlum sibi solùm dives sit, sibi solùm luceat, illustret, calefaciat? fors mare, aquarum copiã pro se tantùm abundet? illam solam partem terrę humectet? minimè sic: Deus Cœlum fecit dives, sole, luna, stellis, regiones supernas illuminet, sed & in pauperem terram indefinenti influat operatione; illam, jam solis radiis ac calore fovendo, jam refrigerantibus roris, ac pluvie guttulis recreando. Fecit Deus mare abundare aquis, sibi abundet, sed penes per occultos meatus, & canales reliquis aridę terrę partibus se infundat, per fontes rivos se communicet, prata, sylvas, hortos humectet, adaquet. Sic pariter se habet cum divitibus, & pauperibus, Dei bonitas fecit divitem & pauperem, dives abundet ad statũs sui excellentiam, & decentiam; superflua verò divitiarum in pauperes, indigentes profundat; de iis, quę superfluit, pauperibus communicet, tribuat, largiatur: Quam præclare S. August. serm. de elemos. *Quidquid vobis Deus plus, quàm opus est, dedit, non vobis specialiter dedit, sed per vos aliis erogandum transmisit.*

CONCEPTUS VI.

Lucę 12. de Divite abundante adeò, ut horrea augere, dilatare cogeretur, observat S. Augustinus, quod repentè contra eum fatalis sententia proscrip̃ta sit: *Stulte, hęc nocte repentẽ à te animam tuam:* morieris, ad Dei tribunal filteris, quis dubitat, æternum condemnandus. Quid putatis hic dives peccavit? an fors abusus

abusus est divitiis, aut injustè rapinis, furtis, fraudibus divitias congregavit? alterius facti meminit Scriptura: *Habebat multa bona reposita in annos plurimos*, de super S. Augustinus: *Non aliena rapere disponebat, non de cuiusquam Vicini agris accipere, non limites perturbare, non pauperes exspoliare, sed uberes tantum fructus suos conservare studebat*, cur ergo à divina, & nunquam errante justitia condemnatus est? respondet citatus Sanctus: *Quia divitiis abundabat, & tenaciter conservabat, audit: Stultel hac nocte reptent animam tuam*. Ergo eleemosynam dare non supererogationis, sed præcepti actus est, de superfluis dare indigentibus divites tenentur; cum superflua steriliter recondere, æternum damnet.

Hortor ergo cum S. Paulo 2. ad Corinth. c. 8. *Abundantia vestra illorum inopiam suppleat, ut & abundantia vestra inopia sit supplementum.*

Epilogus.



IN

IN FESTO S. NICOLAI.

CONCIO SECUNDA.

Textus. Domine! quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque
superlucratus sum. Matth. 25.

Thema. Eleemofyna cuius obvio pauperi data, placet Deo, illamque largiter præmiat.

Exordium.



Hema meum allegatum ipse unigenitus Dei filius testare voluit; Matth. cap. 12. *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigida tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdat mercedem suam.* Sæpius etiam eleemofynæ meritum in Scri-

Textus Sacre Scripture.

ptura deprædicatur. *Fiducia magna erit coram Deo eleemofyna, omnibus facientibus eam: Tobie cap. 4. Fæneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet: inquit Salomon. Prov. cap. 19. & iterum cap. 22. Benedicetur, de panibus enim suis dedit pauperi. Et iterum, 28. cap. Qui dat pauperi, non indigebit. Date, inquit æterna Veritas, & dabitur vobis, mensuram bonam, & confertam, & cogitatum, & supereffluentem dabant in sinum vestrum. Luc. cap. 6. Patres audiantus: Fecundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum, via cæli est pauper, per quam venit ad Patrem, incipe ergo erogare, si non vis errare. Hortatur, & scribit S. August. serm. 25. de verb. Domini. Et iterum in epistola: Si vis esse bonus mercator, fænerator egregius, da, quod non potes retinere, ut accipias, quod non potes amittere, da modicum, ut recipias centuplum, da temporalem possessionem, ut consequaris æternam hereditatem. Consultè S. Greg. in Reg. Quidquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensatur, non est donum, sed mutuum, quia, quod datur, multiplicato fructu sine dubio percipitur.*

Sancti Patres.

*Egregiè S. Chryso-
stomus serm. super illud: Nolite thesauris-
ari in terra, quia corrumpit, & fur-
tatur, & cinis fit, & destruitur, & non
scitis quid horum faciat. Melius ser-
vatur in celo, quia non corrumpit, & non
fur-
tatur, & non cinis fit, & non destruitur, & non scitis quid horum faciat.*

S. Augustin.

Si vis esse bonus mercator, fænerator egregius, da, quod non potes retinere, ut accipias, quod non potes amittere, da modicum, ut recipias centuplum, da temporalem possessionem, ut consequaris æternam hereditatem. Consultè S. Greg. in Reg. Quidquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensatur, non est donum, sed mutuum, quia, quod datur, multiplicato fructu sine dubio percipitur.

S. Gregorius Papa.

*Egregiè S. Chryso-
stomus serm. super illud: Nolite thesauris-
ari in terra, quia corrumpit, & fur-
tatur, & cinis fit, & destruitur, & non
scitis quid horum faciat. Melius ser-
vatur in celo, quia non corrumpit, & non
fur-
tatur, & non cinis fit, & non destruitur, & non scitis quid horum faciat.*

*S. Chryso-
stomus.*

vatur pecunia, que in dextera pauperis collocatur, hanc calumniator non extorquet, invidus non criminatur, latro non aufert, sur-

nocturnus non diripit, servus fugam meditans non invadit, sed semper est tuta, semper integra, semper salva. Et hom. de jejun. & eleemos. Manus pauperis est Abrahæ sinus, ubi quidquid pauper accipit, mox reponit, cæli thesaurus est manus pauperis, quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in calum, & c. da ergo pauperi, ut des tibi, quia quidquid pauperi dederis, tu habebis. S. Antonius Paduanus in s. Antonii cap. jejunium scribit: Eleemosyna non solum anima confert medici. S. Antonii Paduanus. nam, verum etiam temporale lucrum procurat. Perpulchrè S. Ambrosius serm. 67. c. 5. Eleemosynam faciens, ipse proficit, qui largitur; Aurea sunt verba Petri Chrysologi serm. 14. Quod Abel passus sit, quod servaverit mundum Noë, quod Abraham fidem suscepit, quod Moyses legem tulit, quod Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, & hoc clamat solum: Quod comedit pauper, in calo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur, erogatio pauperis prima divinis scribitur in diurnis. Perpulchra est sententia S. Bonaventuræ tom. 6. in diet. salut. tit. 11. Eleemosynæ ramis arborum similes sunt, sicut enim arbor, ramis superfluis præcisit, melius fructificat, sic qui de proprio eleemosynam facit, Dominus residuum multiplicat magis. Implorata S. Spiritus gratia de super Conceptus pandam.

CONCEPTUS I.

Leviticæ cap. 25. præcipiebat Dominus Deus terræ cultoribus, agrorum ac satorum Dominis, ut sex annis fructus colligerent, septimo verò anno nil de terræ proventibus, & agrorum fructibus perciperent, sed omnia sata, & fructus pauperibus relinquerent; ita textus: Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus, septimo autem anno Sabbatum erit terra requietionis Domini. Agrum non seres, & vineam non putabis; quæ spontè gignet humus non metes; & uvæ primitiarum tuarum non colliges, sed erunt vobis in cibum, & advena, qui peregrinantur apud te. Notare libeat verba textus: & advena, qui peregrinantur apud te. Præcipitur Oeconomis, ut septimo anno nil de fructibus colligant, & tamen promittit Deus: Erunt vobis in cibum, tibi, & servo tuo, & ancille, & mercenario tuo, jumentis tuis, & pecoribus. Septimo anno de fructibus nil colligere licuit, sed omnes pauperum usui relinquere præceptum erat,

erat, & tamen larga sustentatio domûs à Deo promittitur, & sub-
m inistrabatur, ut noscamus, eleemosynariis, misericordibus erga
pauperes nil unquam de mediis necessariis defuturum, Deum mira-
biliter iis provisorum. *Si panem das, hunc habes solum*, inquit
S. Chrysologus: Frumenta pauperibus erogata in propria horrea
securissimè reponuntur; quæ pauperibus offeruntur, indeficienter
permanent, & rehabentur cum ingenti lucro. Quod David Ps.
111. indicat.

CONCEPTUS II.

Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi.
Optimè dicit David, eleemosynarium dando pauperibus disper-
gere: cur dispergere? explico me praxi agriculturæ: Bonus œco-
nomus in agrum granum dispergit, & ecce pro uno grano disper-
so, colligit 10. & plura: Videmus puteum vel fontem aquas largissi-
mè dispergere, & quò plus aquarum dispergit fons, eò copiosiores,
limpidiores aquæ affluunt; puteus magis haustus, magis abundat.
Dicendo ergo regius Psaltes, eleemosynarium, quæ pauperi dat, di-
speregere, alludit ad naturam seminantis grana, & putei aquas lar-
gè profundentis; ut sicut granum in agrum sparsum in decuplo red-
ditur, aquæ haustæ redeunt abundantiores, ita quod pauperi da-
tur, Deus decuplo abundantius reddit, atque refundit; est hic con-
ceptus Sancti Chrysostomi ita concludentis: *disperguntur, quæ non
manent, & acquiruntur manentia.* Accommodè quoque S. Cle-
mens Alexandrinus lib. 3. pædag. c. 7. in cap. 4. Cantic. *Quemad-
modum quicumque putei scaturiunt, exhausti in pristinam mensu-
ram revertuntur; ita etiam elargitio, quæ est bonus fons benigni-
tatis, potum sitientibus communicans, rursus augetur; & repletur.*
Nunquam enim sine speciali incremento donata egentibus bona
non revertuntur: *Pietatis promptuarium, locupletum est ararium;*
inquit Nazianz. orat. pro S. Basilio.

CONCEPTUS III.

David Psalmo 80. testatur, quomodo Deus Hebræos divitiarum
copiis nobilitaverit, frumenti adipe; mellis ac lactis suavitate nu-
triverit: *Cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra mellis satiavit
eos,* causalem tantæ abundantiæ adscribit Philo Hebræus lib. de
cha-

charitate; nempè elemosynæ, ac benignitati Judæorum erga pauperes: patet ex lib. Levit. cap. 19. Ubi DEUS hoc præceptum Judæis dedit: *Cum messueris segetes terra tua, non tondebis usque ad solum superficiem terra, nec remanentes spicas colliges, neque in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes.* Ex hoc præcepto elemosynæ, & benignitatis erga pauperes à Judæis fideliter impleto, inquit Philo, crevit Judæis tanta benedictio, & divitiarum copiæ, ut eos DEUS adipe frumenti, suavitate mellis pasceret, audiatur Philo: *Vet at colligi spicas ex manipulis prolapsas, simul divitibus consulens, ut assuescant, sua communicare liberaliter:* Notare libeat verba: *Divitibus consulens:* quasi opportunior sit ad incrementandas divitias exhibita pauperibus elemosyna, quàm grana fundis aratro proficillis commissa; granum namquè terræ commendatum multis indiget, ut in culmum surgat, & serenti tributum solvat, scilicet tempestivis ventorum flatibus, benignis stellarum influxibus, opportunis pluviarum imbribus, & temperatis solis ardoribus; at elemosyna, cum Deum sibi debitorem habeat, omnem intemperiem frustratur, & misericordia misericordiam nanciscitur. Perorat perdoctè Naxera commentario in Judic. cap. 17. §. 55.

CONCEPTUS IV.

Sequentem se turmam hominum Christus desiderat saturare; Apostoli 7. Panes offerunt, quos per Apostolos mandat populo distribui. *Accepit septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis, ut apponerent, & apposuerunt, Turba.* Marci cap. 8. Notat hîc S. Chrysostomus in Catena, hos septem panes penu Apostolorum fuisse: Verba Sancti sic sonant; *Discamus autem hic, qui voluptati attendimus, quæ comedebant mirabiles illi viri, & magni.* Panes ergo proprios, & suos, Apostoli, Turbæ esurienti benignè cesserunt, ac manibus propriis elargiti sunt: *Apposuerunt Turba.* Populo nunc numero 7. millium satiato vadunt Apostoli fragmenta colligere; *Et sustulerunt quod superaverat de fragmentis 7. sportas:* Notate: iidem Apostoli, qui 7. suos panes pauperibus largiti sunt, septem sportas, septies plus, quàm de pane apposuerunt, collegerunt; ut videas, quantis incrementis redeat ad dilar-

B

dilar-

dilargientem, indigenti præstitum, & misericorditer d. largitum: per pulchrè de super Naxera in Excursus morales lib. 1. Regum. cap. 25. part. 11. §. 19. Superesse tantam reliquiarum copiam non solum fuit ad evidens potentiaè Dominicæ testimonium, sed ad reddendum eleemosynæ debitum, nam eleemosyna est ingenium incrementandi divitias, & compendium promerendi benedictiones copiosas. Concludit Conceptum hunc S. Augustinus Epist. 122. *Officium impertiendi, meritum erit accipiendi.* Hoc indicant Verba Abigail, 1. Regum cap. 25.

CONCEPTUS V.

David misit nuncios ad Nabal, ut dignaretur sibi, ac suis victualia administrare, *quodcumque invenerit manus tua, da servis tuis.* Coniunx Nabal, Abigail, postulata à Davide intelligens, ait: *Ecce David misit nuncios de deserto, ut benedicerent Domino nostro.* Abigail petitionem Davidis, vocat benedictionem: petitio Davidis erat eleemosynæ; Abigail, eleemosynam dicit benedictionem; quasi fortunam optimam, rerum copiam, & abundantiam, penes pacem, sanitatem, incolumitatem Abigail eleemosynario prædicit: Ita concludit Abulensis quæst. 6. *Dicuntur isti benedicere, quia quando petunt, imprecantur bona, sit fratribus meis & tibi pax, & domui tuae pax, & omnibus, quæcumque habes, sit pax.*

CONCEPTUS VI.

Eccles. cap. 11. monet: *Da partem septem, nec non & octo, quia ignoras, quid futurum sit mali super terram.* Quia ignorat homo, quid mali super terram eventurum sit hortatur Salomon, largiter dare: contrarium suadet mundus, quia ignorat homo quid mali, quæ penuria, caritas annonæ, quæ miseriæ, infortunia ingruere possint, opes congreget, nummos reserret, substantiam augeat, unde in malo ingruenti vivat, & in adversa fortuna se tueatur. Aliter Salomon præcipit: Nempè hominem sibi optimè consulere, ut ei non desint media in necessitate, liberaliter quæ habet, quæ possidet, largiatur, distribuatur. *Da partem 7. nec non & 8.*

& s. concludit Lyranus: *Quia ignoras quid futurum sit malum, & ab illo liberari possis per opera pietatis impensa indigentibus.* Vis, ne unquam media tibi desint, da pauperi, vis censam augere, & in futura calamitate tibi optime providere, pauperum miserere.

CONCEPTUS VII.

Canticorum cap. 4. Dilectus varie describit Sponsam suam, dicit illam *fontem signatum*, seu clausum, & ut fons clausus est, nihil ei elogii ubertatis adscribit: iterum dicit, Sponsam esse fontem apertum, fontem hortorum, puteum aquarum salientium, & continuo miram abundantiam ac ubertatem ei adnectit: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano*: desuper S. Gregorius: *Copiosus diriscit puteus, dum impertit.* Quo noveris esse ingenium ad augendas divitias, laudabili largitate impertire, & indigentia pauperum ministrare, qui egentis levat miseriam, salutis, & temporalium bonorum sibi adauget copiam.

CONCEPTUS VIII.

Psalmistæ Regius signatè liberalitatem DEI erga corvos deprædicat. Psal. 145. *Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Naxera commentatur: Illa invocatio non tam videtur petere, quàm sibi debita alimenta jure quodam exigere. Unde corvus jus ad Dei largitatem acquisivit? Causalem allegat Euthymius: *Dicunt aliqui, quod cum ille, qui summa bonitatis est fons, justam Elie Propheta in Judæos indignationem mollire cuperet, famem induxit, ut satietatis fructus castigaret, & illum preparavit nutrire corvo.* Scripturâ teste: 1. Regum 17. *Corvi quoque deferebant ei panem & carnes mane, similiter panem, & carnes vespere.* Corvi aiebant pauperem Eliam in deserto, hoc est Jus quæsitum ad DEI largitatem, cum Elias à corvis fuerit alitus, corvus præ cæteris volucris exegit, quæ Dei famulo præ

lo præ cæteris alimenta impertivit. Solvere namquæ DEUS tene-
tur, quod pauperibus impertitur.

Epilogus.

Hortor ergo omnes cum Tobia: c. 4. *Quomodo poteris, sic esto mi-
sericors. si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum, libenter
impertiri stude; præmium enim bonum tibi thesaurizas in die neces-
sitas, quoniam eleemosyna ab omni peccato, & morte liberat, & non
patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram
summo DEO eleemosyna omnibus facientibus
eam. Amen.*



IN

IN FESTO S. NICOLAI
CONCIO TERTIA.

Ecce alia quinque superlucratus sum, Matth. 25.

Eleemosyna pauperibus domesticis, ac extremè egentibus elargita, maximum est opus misericordiæ, omnibus gratiis divinis remuneratur.

Textus

Thema



Eleemosyna, cuius obvio pauperi data, placet Deo, mercedem certam habet, & præmium, eleemosyna verò pauperibus extremè & occultè egentibus, quales sunt pauperes domestici, qui ignis sævitia, aquarum violentia, belli injuria, aut alio quovis infortunio ad extremam inopiam redacti sunt, præstita, quam maximè Deo placet, sumè, & omni genere gratiarum remuneratur. Audiamus S. Scripturam.

Exordium

Cum effuderis animam tuam esurienti, & animam afflictam repleveris; (quæ autè anima magis afflicta, paupere domestico?) orietur in te.

Textus SS.

Scriptura.

nebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & requiem dabit tibi Dominus Deus tuus semper, & splendoribus implebit animam tuam, & ossa tuæ liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. Isaïæ cap. 58. Salomon hortatur Proverb. 24. Qui irabuntur ad interitum, liberare ne cesses. Et iterum Eccles. cap. 12. Benefac justo, & invenies retributionem magnam, etsi non ab ipso, certè à Domino. S. Jacobus habet c. 1. Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. Audiamus etiã: Beati illi, qui subveniunt miseris, quoniam eis rependitur, ut per misericordiam eorum, de miseria liberentur. S. Augustinus de Serm. Domini.

SS. Patres.

S. Augustinus.

Beatus qui intelligit super egenum canit David Psal. 40. desuper

S. Leo.

Leo Papa Serm. 4. de collectis. Quid sibi vult hoc intelligere? ad intelligendum super egenum & pauperem sollicita benignitate est vigilandum, ut quem modestia regit, & verecundia præpedit invenire possimus: sunt enim qui palam poscere, quibus indigent, erubescunt,

besunt, & malunt miseria tacite egestatis affligi, quàm publicâ petitione confundi: Intelligenti ergo illi sunt, & ab occultâ necessitate reservandi, ut hoc ipso amplius gaudeant, cum & paupertati eorum consultum fuerit, & pudori; liberandi propter hoc à damnatione perpetua, nam in die mala liberabit eos Dominus.

S. Ambrosius Egregiè S. Ambrosius lib. 2. de officiis c. 26. Videndus est tibi pauper, qui te non videt, requirendus ille, qui videri erubescit; clausus in carcere occurrat tibi, egrotus mentem tuam personet, qui aures non habet personare. Optimè Cassiodorus in Psal. 40. Intellige super egeum, qui petenti tribuit, bonum opus efficit, qui verò tacentem intelligit, beatitudinem sine ullâ dubitatione conquirat.

Cassiodorus. Implorata S. Spiritus gratia desuper Conceptus tribuam.

CONCEPTUS I.

Confirmatio. Indubiè sibi Michas promittit Judicum cap. 17. largam DEI benedictionem, & omnia prospera: *Nunc scio, quod benefaciet mihi Dominus.* Unde scit? quæ merita, quæ bona opera allegat, vi quorum DEI benedictionem tam securè sibi promittit? adeò meritorum opus Michæ fuit eleemosyna, charitas, quam pauperi Levitæ, sponte suâ exhibuit: historia sacra sic habet, *Levites egressus de civitate Bethleem Juda, peregrinatus est in montem Ephraim, ibi in domum Micha parumper divertit,* quem Michas suavissimè suscepit hospitio, & licet pauper indigens Levita eleemosynam non peteret, Michas tamen ultrò tribuit: *Implevit manum ejus:* ob hanc, pauperi domestico, (qualis Levita erat) liberalem eleemosynam præstitam, securè sibi promittit Michas: *Nunc scio, quod benefaciet mihi Dominus.* Eleemosynam etiam obvio pauperi præstitam præmiat DEUS, eleemosynam verò pauperi domestico exhibitam, omnium maximè, ac securissimè DEUS remuneratur mirè benedicendo, ac benefaciendo. Sic subscribit S. Ambrosius 2. Offic. cap. 16. *Scio enim qui plus contulerunt, plus abundasse;* Pauperi autem domestico, & extremè egenti dare, consideratis circumstantiis, plus est dare, major est eleemosyna, ergo plus abundabunt, majus præmium referent, pauperum domesticorum qui miserentur, ac benefaciunt illis. Testis sit David.

CON-

CONCEPTUS. II.

Summoperè DEUS benefecit David, dum tantum animum ei præstitit, ut adhuc puer pastoricius prostraverit magnum illum gigantem Goliath: Tanta fortuna non viribus David, sed speciali gratiæ & adjutorio divino adscribenda est, quæ merita habet David? Allegat meritum Sacra Scriptura 1. Regum. cap. 17. *Dixit Isai ad David filium suum: Accipe fratribus tuis Ephraim polenta, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos. &c. Surrexit itaq; David mane, &c. & onustus abiit, sicut præceperat ei Isai. sc.* David, ut ex textu liquet, non obviis mendicis, sed fratribus hic & nunc in castris (ut sapius contingit) egentibus, ac domesticis pauperibus opem tulit, panes eis attulit, famem consolatus est, exinde specialem benedictionem meruit, tantam fortunam, & victoriam consecutus est. Hic Conceptus est Rabbani in glossam citatum caput. *David ephraim polenta, id est, trium modiorum mensuram fratribus detulit, Goliath in fronte percussus ruit.* Ergo benignitas, misericordia, elemosyna, pauperibus domesticis exhibita singulariter ac summè à DEO præmiatur. Ulterius hoc est expertus David.

CONCEPTUS III.

Non semel, sed sæpius quàm clementissimè à se persequente Rege Saul, conservatus est David, incolumis evasit, mirabiliter se protegentem, adjuvantem manum, & opem divinam expertus est, causalem meritorum David dicitur sacer textus 2. Regum. 22. *Convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustiis constituti, & oppressi are alieno, & amaro animo, & factus est eorum Princeps.* Manifestè hic indicatur David pauperum Domesticorum factum esse Patronum, fautorem, & defensorem, & talem specialiter fovet, tuetur Deus, protegit, juvat, defendit. Non potuit invidia Regis Saul iniqua expectatione non frustrari, dum constat David sublevatis pauperibus communiri. Saul prædator injustus, montes arcta circuit indagine, lustrat curiosis oculis Sylvas, verum David pauperum patrocinio protectus, omnes claudit iniquitatis conatus, & perversitatis adfultus. Conceptum hunc dicitur Angelomus apud glossam: *Convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia.*

gustia. &c. Tunc ille securus, quasi auxilium ei fuisset adjectum, venit ad Regem Moabit arum. Grande David adiciebatur auxilium, dum pauperes foti, inopes alti, ejus circumcingebant latera, & abigebant pericula. Eleemosyna ergo pauperibus domesticis exhibita pro impenetrabili scuto est contra adversitatum fluctus: Qui sic alienam redimit calamitatem, obsistit sua: concludit Naxera §. 11.

CONCEPTUS IV.

Prudentissima Abigail per nuncios David penuriam, quam in deserto pateretur, intelligens, *festinavit & tulit ducentos panes, & duos utres vini, & quinque arietes coctos, & quinque sata polenta, & centum ligaturas uvæ passæ. &c. 1. Regum cap. 25.* Hæc obtulit David inquires: *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo.* Notate: Munera indigenti David oblata, benedictionem vocat; cur benedictionem? Benedictio est omnis boni ditatio, munera indigenti oblata Abigail benedictionem vocat, id est, omne bonum, speciales divitias, honores, ac prosperitates datori afferens. Habet eleemosyna pauperibus domesticis largita, locupletissimum ærarium unde solvat, quidquid egentibus charitas subministrat. Testes produco Berzellai, senem Tobiam, & viduam Sarephitanam.

CONCEPTUS V.

Describit lib. 2. Regum cap. 17. quomodo Berzellai David à facie Absolon in desertum fugienti obviam processerit, & adjutorium præstiterit, Regi nunc extreme indigenti necessaria subministraverit. *Et Berzellai Galaadites de Rogeli, obtulerunt ei stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, & hordeum, & farinam. &c. Suspicati enim sunt populum fame & siti fatigari in deserto.* In hoc capite nulla fit mentio, quod tanta urbanitas, benignitas, misericordia indigenti Regi exhibita, Berzellai remunerata sit, an larga DEI benedictio emanarit? minimè, summoperè, omni modo, & genere DEUS præmiavit, & benedixit: Legatur cap. 19. lib. 2. Regum, hæc videre est, quod Scriptura extollat Berzellai grandævam can-

canitiem, deprædicet divitias, enarret gratias & favores à Rege David collatos. Berzellai quoque Galaudites senex valde, id est, octagenarius, &c. fuit quoque vir dives nimis, &c. dixit itaque Rex ad Berzellai, *veni mecum, ut requiescas in Jerusalem.* Senem Berzellai Aulam fastidientem, assumit David Berzellai filium. *Mecum transeat Chamaam, & ego faciam ei quidquid tibi placuerit, & omne, quod petieris à me impetrabis.* Profecta senectus, thesauri & divitiæ, favor & gratia Regum ac Principum, permagna sunt Dei dona, ac uberes benedictiones; omni modo, in omni genere Berzellai subsidium indigenti Regi præstitum, Deus præmiavit: ita subscribit doctissimus Sanctius in hunc locum: *Fuit hic homo dives, quia Davidi, dum esset in castris, ad militum subsidium magno usui fuit.* Sic enim textus 2. Regum cap. 19. Ipse (Berzellai) *præbuit alimonia Regi, dum moraretur in castris.* Eleemosyna ergo indigentibus pauperibus domesticis præstita, est tellus illa fertilis, fructus in centuplo benedictionum afferens.

CONCEPTUS VI.

Quantas non Dei benedictiones sensit senex Tobias: Ipse longissima vita fruitur; *completis annis centum duobus sepultus est honorificè in Ninive.* Tob. 14. Rex Salmanasar Tobia faverat: *Dedit illi Deus gratiam in conspectu Regis Salmanasar, & dedit potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quacumque facere voluisset.* Tobia C. 1. Filius Tobia Angeli confortio honoratur, census augetur &c. *Ingressa est etiam post septem dies Sara uxor filii ejus, & omnis familia sana, & pecora, & cameli, & pecunia multa uxoris, sed & illa pecunia, quam receperat à Gabelo.* Tob. 11. Omnes has Dei largas benedictiones Archangelus Raphaël eleemosynis Tobia adscribit: *Eleemosyna à morte liberat, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam.* Eleemosynæ autem Tobia erant ad pauperes domesticos, ad cives in captivitate Babylonica, qui sua aliquando optimè habuerunt, nunc autem injuria hostium indigebant. *Omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptivis fratribus &c. impertiret.* Tob. cap. 1. & iterum: *Tobias quotidie pergebat ad omnem cognationem suam, & consolabatur eos, d. videbatque unicuique, prout poterat, de facultatibus*

bus suis, esurientes alebat, nudisque vestimenta praebebat; & mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat. Eleemofyna ergo pauperibus domesticis exhibita, est omnium felicitatum copiosa vena, est favorum Principum, honorum, divitiarum, ac longae vitae aurifodina.

CONCEPTUS VII.

Orbis stupet ingentem benedictionem, quam liberalissime Deus indulgit mulieri illi, de qua sacra Historia lib. 4. Reg. c. 4. modicas guttas olei, quas residuas habuit, ita Deus ei multiplicavit, ut multa vasa, ac urnas repleverit, quo oleo dividendo, exsolvit debita contracta, ac imposterum se, ac filios suos decenter enutrivit: Audiamus Scripturam: Propheta ait ad mulierem: *Dic mihi, quid habes in domo tua? at illa, non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar, cui ait: vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca, & ingrediens claude ostium tuum super te & super filios tuos &c.* Igitur itaque mulier, clausit ostium suum super se, & super filios suos, illi offerebant vasa, & illa infundebat; cumque plena fuissent vasa, dixit ad filium, *affer mihi adhuc vas, & ille respondit, non habeo, stetitque oleum.* Unde haec mulieri, ac familiae, tam larga benedictio? Secundum Doctores Hebraicos & Latinos, inquit Lyra: *Ista mulier fuit uxor Abdia: De Abdia autem legitur 3. Regum, cap. 18. Cum interficeret Jezabel Prophetas Domini, ille tulit centum Prophetas, & abscondit eos quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pavit eos pane & aqua.* Tempore Regis Achab & Jezabel, magna persecutio orta est in Prophetas Domini, qui expulsi Regno exilium patiebantur, verè facti pauperes domestici, hos Abdias cum uxore sua benigne fovit, quantum facultates ejus admittebant, aluit; & haec eleemofyna exulibus his pauperibus praestita meritum sunt, tam largae benedictionis, divitis olei affluxus. *Sancti in necessitate pasti, mulieri, filiisque vasa amplissima mutuarunt, ut opportuna sortiretur auxilia ab iis, quibus misericorditer praestiterat alimenta.* Concludit Tilmanus.

Epilogus. Jeremias quandam speciem paupertatis, absinthium & fel amarissimum

mum nominat : *Recordare paupertatis , & transgressionis meae , absinthii & fellis.* Jerem. cap. 3. Hæc amarissima paupertas , est domestica paupertas , longè acerbior , amarior , quàm mendicorum obviorum , longè enim magis dolet , quod mordet intrinsecè , quàm quod affligit extrinsecè , ast paupertas domestica est dolor & afflictio non tam extrinsecè , quàm intrinsecè , rectè ergo paupertas absinthii & fellis , miseria maxima , & acerbissima ; hujus , hortor cum Jeremia Threnorum 3. *Recordare* , præ mendicis obviis , horum miserere , & benedictio pinguis , ac copiosa , temporaliter , & æternùm sequetur. *Qui intelligit super egenum & pauperem* , canit David Ps. 40. *Beatus , qui intelligit* : inquit Cassiodorus hîc. Qui eleemosynam tacenti , & solùm suspiriis postulanti (qualiter solent pauperes domestici) elargitur , occultè egentibus misericorditer succurrit , beatus est , felix inquam in terris , beatus in cœlis. *Qui petenti tribuit , bonum opus efficit , qui verò tacentem intelligit , beatitudinem sine ulla dubitatione conquirat.* Concludit Cassiodorus.



IN FESTO IMMACULATÆ
CONCEPTIONI B. V.

CONCIO PRIMA.

Textus. De qua natus est JESUS. Matth. cap. i.

Thema. Beatam MARIAM Virginem, sine macula conceptam esse probatur.

Exordium.



N insigni templo Saronensi, Mariam Virginem sine labe conceptam, & lilii symbolo dignoscere licet, quod spinis circumdatum epigraphen refert: *Augens, indecora, decorem.* Spinæ inquam candorem lilii: Liliū Virgo Maria à Sponso Cantic. 2, intitulatur: *Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ.* Liliū Maria, ob nimium candoris decorem, unde S. Epiphanius lib. de laud. Mariæ: *Virgo est liliū immaculatum, sublimior Angelis facta est, superior ipsis Cherubim, & Seraphim, placens Christo Regi à Deo in honore est habita, tanquam ancilla digna, & sancta Mater, Mater immaculata.* Perpulchrè Serlogus: in Cantic. Vestigio 18. §. 1. n. 8. *Nam sicut mirabile est inter senticosa, & ferruginea, liliū undequaque formosum, & blandulum, & candidum prodire, sic suspendam fuit, corrupta generis humani massa, cunctisque spina originalis delicti transverberatis, Mariam absque nevo concipi.* Eleganter scribit Adam à S. Victore de Immaculata Concept. Virg. in assumptione: *Flos de spinis, spina carens, flos spineti gloria.* Petrus Damiani de laud. Virg. inquit: *Germinavit Virga fesse, ac de tortuosa radice generis humani in rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem. Mater est immaculata:* Verba sunt Origenis, hom. 1. in divers. *Mater incorrupta, mater intacta, quæ neque persuasione serpentis decepta est, neque ejus afflatibus venenosis infecta est.* De hac (sacratissima inquam Virgine Maria) propter hono-

honorem Dei, nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere volo
 questionem. perorat S. Augustinus. Audiamus & S. Thomam in *S. Thom. a*
 sententiis dist. 44. quæst. unica, ar. 3. ad tertium: *Potest aliquid in-* *Aquinas,*
creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si
nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit B. Virginis pu-
ritas, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit. Concludo
 cum Idiota de contemplat. B. V. cap. 2. *Tota pulchra es in tua con-*
ceptione, ad id solùm effecta, ut templum Dei esses Altissimi: tota *Idiota,*
pulchra es generatione Verbi Divini, qui est splendor paterna gloria,
qui est candor lucis aterna, & speculum sine macula. &c. Tota igitur
pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula
peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, nec
unquam fuit, nec erit; sed adest tibi omnis gratia naturalium bo-
norum, spiritualium charismatum, & cælestium donorum. Implo-
 rata S. Spiritus gratia, Conceptibus perpulchris Mariam Virginem
 sine labe conceptam probabo.

CONCEPTUS I.

S. Joannes Evangelista narrat: cap. 19. *Stabat & juxta crucem*
JESU, mater ejus. Mysterio plenum est, quod Virginem sub cruce *Confirmatio*
stare dicat: Concutitur cælum, devolvitur terra, & dum arbor
crucis erigitur, cadit lux solis, obnubilatur dies, cuncta fatentur
casum, & quassata jacent, sola Mater stat immota: Stabat juxta
crucem JESU Mater ejus. Cur stat sub cruce, cum pietatis officium,
 & maternus amor exposceret, dolore concuti, contristatam,
 & dolentem gemitus pondere sterni, & quassari? Ast obruant licet
 immensi dolores materna viscera, transverberent medullas, non
 cadit mater, concussio mundo stat sub cruce immobilis: cur stat adeo
 firma, & fixa? dicam causam ex S. Anselmo: hic Sanctus docet in
 Cant. 8. Crucem, in quam affixus fuit Christus Dominus, ex illo ligno
 arboris illius, de qua Adam & Eva fructum vitium comedentes ce-
 ciderunt, in peccatum originale totum genus humanum præcipita-
 runt, compactam, ac fabricatam fuisse: Verba S. Anselmi sic so-
 nant: *Legitur in libris Græcorum, quod de eisdem arbore, in qua pec-*
cavit Adam, ramus quidam allatus fuerit Jerosolymam, & ibi
plantatus excreverit in magnam arborem, de qua postea facta sit crux
Domini, ut ex quo mors venerat, eodem vita repararetur. Sub cruce,
 sub

sub illa arbore stat Maria, sub qua totum genus humanum concidit; indicando; communis casus ruinam se non sentire, sub arbore ubi omnes homines conciderunt ob culpam, Mariam stare immobilem per gratiam. Stat B. Virgo sub crucis umbra, ut lethale umbraculum, quod omnes profligavit, Ipsi Virgini minimè nocuisse colligatur, & immaculata, immunis à peccato Adæ intelligatur.

CONCEPTUS II.

Dilectus in Canticis Sponsam: B. V. Mariam sæpius *Amicam* vocat, *Amica mea*, *formosa mea*, Cantic. 2. & cap. 5. Cur signatè *Amicam* vocat? Amicitia, ab amore, conjunctione cordium, derivatur, amicitia omne odium ac rancorem excludit; Amica ergo vocatur Maria, ut quam Deus semper amavit, dilexit, ei conjunctus fuit, quam culpæ expertem nunquam odit, nunquam aspernabatur, hinc immaculata, quæ primordiale gratiam, quam reliqui homines perdiderunt, feliciter semper retinuit, conferavit. *Quæ enim sanctificata in utero, ac ab omni labe originalis fuerat liberata, gratia plenitudinem, quam mente percepserat, portendebat exterius, Illam profectò adhuc in matris utero decubantem adamavit Verbum, sibi que in Genetricem elegit, ut potè super abundantiam benedictione preventam, jamque S. Spiritus magisterio deputatam.* Perorat S. Laurentius Justinianus, serm. de Nativ. B. Virginis,

CONCEPTUS III.

Angelus ad Mariam inquit: Luc. cap. 1. *Ave gratia plena: Et iterum: Spiritus Sanctus superveniet in te: & superaddit; Invenisti enim gratiam apud Deum.* Omnia hæc verba sunt mysteriis plena: Ave, dicit Angelus ad Mariam, hoc verbum AVE, S. Bonaventura in speculo, & S. Thomas de salutatione Angelica sic explicant: AVE: nempe, A, esse particulam negativam, & VE, idem esse ac VÆ, quasi Angelus dicat per AVE, o Maria, A, te, est omne VÆ; VÆ autem ex peccato oritur, ita Albertus Magnus lib. de laud. Virg. *Ex peccato secutum est triplex va; va pœna, va ignorantia, & va culpa; va culpæ triplex, originalis, actualis, & venialis; sine isto triplici va fuit B. Virgo Maria.* Dicendo ergo Angelus ad Mariam AVE, & simul dixit: A Te Maria, omne VÆ peccati est, tam originalis, quam actualis: ita Fulbertus Carnotensis relatus à glossa:

AVE

AVE Maria electa, & insignis inter filias, quæ immaculata semper exististi, ab exordio tuæ creationis. Post Ave, dicit Angelus Mariam gratia plenam. Quæstio est: quæ est illa gratia, qua plenam esse Mariam Angelus asserit? S. Fulgentius respondet; esse gratiam primæ innocentia, quæ in Maria semper permanit: *Cum Angelus dicit; gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plena benedictionis gratiam restitutam.* Ita Fulgentius; desuper exclamat S. Anselmus lib. de Concept. V. cap. 12. *O benedicta inter mulieres, quæ Angelos vincis puritate;* propterea Angelus dicit ad Mariam; *Invenisti enim gratiam:* non dixit accepisti, sed invenisti: *Ut significaret equidem, quod sola Maria fuit, quæ illam gratiam invenit, quam per dederat protoplastes, quæ originalis fuit,* inquit Biel ferm. 1. de Concept. Addit quoque Angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te:* desuper Lyranus: *Benè dixit superveniet in te, quia prius venerat Spiritus Sanctus super Virginem adhuc in utero Matris existentem, illam ab originali preservando.*

CONCEPTUS IV.

Ezechiel mirabilem suam visionem describit cap. 1. *Quasi Aspectus lapidis sapphiri similitudo Throni, & super similitudinem Throni similitudo quasi aspectus hominis desuper.* Thronus hic B. Virgo est, aspectus hominis in throno, est Verbum incarnatum Christus Jesus; thronus Maria V. similis lapidi sapphiro dicitur, cui sapphiro? Sapphirus diaphanus est, undiquè clarus, & fulgens, Mariam undique claram, fulgentem, nitidam, albescentem, immaculatam designat: ita Galatinus lib. 7. cap. 18. *Similitudo Throni, vel solii, sive sedes, est gloriosa Mater Messie, super hanc similitudo hominis, qui est Dei filius incarnatus, seu Messias.* Dicit aspectum similem sapphiro, *ut innuat intemeratam Virginis puritatem, ut enim sapphirus est diaphanus, & clarus, ita Virgo semper fuit immaculata, & clarissima absque originali peccato.*

CONCEPTUS V.

S. Joannes Apoclyp. 12. narrat, se vidisse quid portentosum & mirabile: *Signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Visionem hanc Joannes vocat signum, signum inquam Astrologicum, id est; unum ex 12. planetis, quæ Zodiacum componunt; quas planetas sol de mensè in mensè versat atque invisit: & vocat

S. Joan-

S. Joannes Visionem illam: Signum magnum, id est, mirabilem siderum concurrentiam ac constellationem, sed in quo sita est hæc mirabilis siderum concurrentia? indicat eam S. Joannes: nempe in concursu solis & lunæ, sol & luna, in splendore, & ortu suo simul comparent. Observant nunc Astrologi, quando sol cum luna convenit, simul stant & oriuntur, tunc lunam neque eclipsim neque umbram pati. Lunæ sæpius comparatur B. V. Maria, *pulchra ut Luna*, ut primum hæc Luna orta est, in instanti Conceptionis Virginis vidit S. Joannes solem gratiæ divinæ cum Virgine Maria concurrisse, in quo concursu Eclipsis & tenebræ non coincidunt, ac significatur; Mariam Virginem in instanti, & momento conceptionis suæ, eclipsim, ac defectum noxæ alicujus passam non fuisse, umbras peccati non sustinuisse; sicque sine Originali peccato conceptam esse.

CONCEPTUS VI.

Advertit quoque S. Bernardus serm. in signum magnum: S. Joannem signatè describere sub pedibus Mulieris visæ, lunam positam. *Luna sub pedibus ejus*: Cur sub pedibus est Luna? Lunam noscimus menstruè deficere, sunt & qui maculas in Luna notant: Luna ergo sub pedibus Virginis Mariæ, defectus, & maculæ, non sunt in, sed infra Mariam, amicta est sole & stellis, tota est luminosa, tota clara, tota lucida, sine peccato, sine macula originalis delicti. Ita Bernardus citatus: *Defectus omnis sub ea, & quidquid fragilitatis, seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedit, & supergreditur creaturis.*

CONCEPTUS VII.

Dilectus Cantic. 1. Dilectam suam: quæ MARIA est, dicit cubare in meridie: *Ubi cubes in meridie*. Cur rectè Meridiem Virgini assignat, cur non mane, vel vespere, quod aptius est ad quietem? Doctissimus Velasquez advertit: In meridie, solis lucem esse clarissimam, & calidissimam, meridiem ergo assignat Sponsæ, omnimodam ejus claritatem, puritatem, ac luminis gratiarum splendorem indicando: Ita S. Bernardus in cap. 1. Cantic. *Candidissimus sanè & altissimus hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum,*

dum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum liceat suspicari. Quippè cum in meridiana luce nullæ umbræ, nulla omninò caliginis vestigia conspiciuntur, perfectæ, & omnimodæ puritatis, meridiei imago est; ac proindè ad primævam illam mundiciam & pulchritudinem, in qua sive cœlestes Spiritus, sive primi parentes creati sunt, MARIA opportunè refertur, uti ad Adami innocentiam Mariam retulit Petrus Damiani in Serm. de Assumpt. *In meridiano lumine, ille primus Parens creatus est, factus ad imaginem conditoris.* Sine macula ergo concepta est B. V. Maria, uti concludit Regius Pfältes, Psal. 45.

CONCEPTUS VIII.

Adjuvabit eam, mane, diluculo. Quod est illud Mane & diluculum? Respondet S. Hieronymus: Ortus est matutinus, instans conceptionis B. Virginis, tunc jam patrocinatus est Deus, suppetias tulit, præelectam suam matrem à peccato Originali præservando.

MARIAM ergo Virginem sine macula conceptam devotissimè non tam hodiè quàm indies, tota vita nostra colamus, veneremur, ut ipsius Patrocinio à maculis peccatorum, vera contritione abluti, mundi, ac puri, coram tremendo tribunali stricti

DEI Judicis aliquando compareamus.

Epilogus.



D IN



IN FESTO IMMACULATÆ
CONCEPTIONIS
CONCIO SECUNDA.

Textus. De qua natus est JESUS. Matth. I.

Thema. Sine macula est Maria, quia singulariter præventa.

Memorandum.



Epiphanius Serm. de Laud. B.V. variis honorum titulis Mariam Virginem deprædicat: Vocat illam *Lampadem cæli, lucem gestans inexstinguibilem, sole splendidiorem; Urnam auream, continens in se Manna cæleste. Mare Spirituale, habens in se gemmam cælestem Christum. Splendidum cælum, imrehensibilem portans Deum.* Mariam vocat Richardus à S. Victore cap. 23. in Cantic. *Paradisum, de qua fons egreditur gratiarum.* Hugo de S. Victore Serm. 34. de institut. monastica, maximis encomiis Mariam deprædicat: *Maria Virgo verè est aurora clarissima, quo suo magnifico jubare præcedentem Patrum claritatem innovavit. Est ergo aurora vera lucis præventione, flos pulchritudine, sacus dulcedine, viola humilitate, rosa Charitate, lilium suavitate, vitis fructificatione, quodvis aroma, bona opinione; Castrum in securitate; murus & turris in fortitudine; propugnaculum defensione; columna rectitudine; Sponsa fidei; amica dilectione; mater fecunditate; Virgo integritate; Domina dignitate; Regina Majestate; Ovis innocentia; Agna mundicie; columba simplicitate; Turtur Castitate; Nubes protectione; Luna augmentatione; Sol consummatione; Paradisus plenitudine; egregiè Idiota de contempl. B.V.c.2. Quodcumque donorum alicui sanctorum unquam datum fuit,*

fuit, tibi non fuit negatum, sed Sanctorum omnium privilegia, omnia habes in te congesta, nemo equalis est tibi, nemo major nisi DEUS. Hæc est incorrupta illa terra, loquitur de B. Virgine S. Bruno in Psalm. 101. Cui benedixit Dominus, & ab omni propterea peccati contagione libera, per quam vitæ viam agnovimus, & promissam veritatem accipimus. Unde S. Gregorius Neocæs. Or. 2. meritò simulacrum immaculatum puritatis, & integritatis Mariam dicit. Divina S. Spiritus gratia implorata Conceptibus probabo.

CONCEPTUS I.

Arcam illam, quæ naufragantē mundo Noëmo portum attulit: B. Virginem Mariam sine macula conceptam figurasse, nemo ambigit: Ita Hesichius, hom. de Deip. *B. Virgo est Arca, Arca Noë latior, longior, illustrior; illa erat animalium Arca, hæc autem Arca vitæ; illa corruptibilium animalium, hæc incorruptibilis vitæ, illa Noë, hæc vero ipsius Noë factorem portavit; illa duas, & tres contignationes, & mansiones habebat, hæc autem universum Trinitatis complementum.* De Arca Noë nunc varia observanda veniunt. Primò: Ex lignis talibus compacta fuit, quæ minimè per aquas corrumpuntur, ut sunt ligna cedrina. Secundò: Ab infra, tam ab extra Arca linita fuit; Item non in modum navis, sed in modum Domus undique tecta, & clausa fuit, ut neque inferius, neque superius gutta aquæ Arcam penetraret, madefaceret, vel tangeret. Tertiò: Quò magis aquæ multiplicarentur, & excreverent, eò magis Arcam in sublime elevaverunt. Hæc omnia congruunt Virgini Mariæ; Ex incorruptibilibus lignis fabricata est Arca hæc: *Quasi cedrus exaltata sum in libano.* Eccles. 24. Quasi cedrus, corruptioni minimè subjacens: Undique clausa est hæc Arca, Virgo Maria; *Hortus conclusus, fons signatus.* Cant. 4. Unde nec gutta diluvii peccati Originalis intravit, teste Sponso Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Nocuerunt aliis aquæ diluvii peccati originalis, ac planè obruerunt, Maria Virgo his procellis semper existit superior, in apice divi-

narum gratiarum collocata; *Ab aeterno ordinata sum, inquit, & ex antiquis.* Maria ergo immaculata est.

CONCEPTUS II.

Dilectus in Cantic. Mariam Columbam nominat: *Una est columba mea.* Can.6. Columba utique Noetica, uti eam compellat S. Bonaventura in spec. lect.9. *Tu es illa fidelissima columba Noë, quæ inter summum Deum & mundum diluvio spiritali submersum, mediatrix fidelissima exististi.* De columba Noëtica legitur, quod extra Arcam pes ejus non quieverit, quod super nullam arborum, ac frondium resederit: *Cum non invenisset pes ejus, ubi requiesceret, reversa est ad eum in Arcam,* Genes. cap.8. Et cur columbula illa non sedit, non quievit super unum ramusculum, vel frondem, ut alias hoc genus avium assolet? Advertit Lyranus, quod omnes arbores, & frondes, à generali diluvio, sordibus, luto, ac fœcibus infecti, inquinati fuerint; non resedit ergo super ramum sordibus infectum, ne inquinaretur, sed immaculata maneret; Verba Lyrani sic sonant: *Dicendum, quod ex diuturna mora aquarum super terram, non erat desiccata adhuc, sed erat quasi lutum, in quo non libenter quiescit columba.* Columba Noëtica est Maria, propterea, quod super lutum peccati ne momento quidem resederit, sola, & unica à peccato Originali, à sordibus Adæ, immunis, & purissima permanserit, immaculata semper. Hoc indicare intendit Sponsus adeò dilectæ suæ, quæ Maria est, pedum pulchritudinem laudando.

CONCEPTUS III.

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principum. Cantic. 7. Cur quæso à pedibus, à gressu sponsa deprædicatur? Notare libeat; per pedes, & gressus, PP. intelligere peccatum Originale, quod malos affectus, ac inordinatos appetitus post se trahit, ac omnes homines malè ordinatis passionibus inquinavit, juxta Psalm 48. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Hinc Christus discipulorum suorum lavit pedes, non verò legitur lavisse pedes Mariæ Virginis; cur hæc à lotionem pedum excluditur? Audia-

Audiamus quid Christus dicat Petro : *Qui lotus est, non indiget, nisi ut lauet pedes*: desuper S. Ambrosius : *Plantam lavare debebat, habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando enim supplantavit serpens, & persuasit errorem, idèd planta ejus abluitur, ut hereditaria peccata tollantur.* Maria ergo à lotione pedum excluditur, imò à gressu, à pedibus laudatur; ad innuendum; à peccato Mariam immunem esse, primum instans conceptionis, primus ingressus Mariæ in hunc mundum, jam pulcher fuit, ac mundus à fordibus peccati Originalis, ita concludit conceptum hunc Simmachus : ita ex Hebræo, textum: *Quàm pulchri sunt gressus &c.* vertendo : *Quàm pulchri sunt primi gressus tui.* Salomon. teste Prov. c.7. *Via ejus via pulchra, & omnes semite illius pacificæ,* id est: inquit Richardus à S. Laurentio : de laud. V. *Munda à peccato.*

CONCEPTUS IV.

In Universalî diluvio omnes creaturæ interierunt, præter Olivæ ramum, Genes. c. 8. *At illa, columba nempe: Venit ad illum ad vesperam, portans ramum Olivæ virentibus foliis in ore suo.* Desuper S. Ambrosius lib. de Noë & Arca : *Gavisus est vir justus videns fructum de veteri semine aliquem reservatum, & inde collegit misericordie divinæ insigne, quod fructum demonstrasset, cui non potuissent nocere diluvia.* Spiritus S. Eccles. 24. de Maria inquit: *Quasi Olivæ Speciosa in campis.* Speciosa dicit, semper munda, semper candida, pura absq; maculâ. *Quemadmodum igitur in Universalî diluvio omnes reliquæ arbores perditæ sunt, excepto Olivæ; ita omnes creaturæ rationabiles, in diluvio peccati Originalis interierunt, sola Maria, mystica Olivæ excepta, quam omnipotens Deus ab instanti conceptionis suæ præservavit; patet ulterius ex Prophetiâ Danielis cap. 4.*

CONCEPTUS V.

Imperatum est à divîna Justitiâ : *Succidite arborem, & prœcidite ramos ejus, & excutite folia ejus, & dispergite fructus. &c.* Verumtamen germen radicum ejus in terra sinite : Arbor hæc humanum genus est, rami, folia, & fructus, sunt Dei dona & gratiæ

gratia. Has, & hæc omnia perdidit Adam ob peccatum, succisa est arbor, concidit humanum genus peccato originali; Radix tamen & germen humani generis illæsum mansit, huic parcitum est. Sed quis dicet, quæ est illa radix, & germen, quod in excidio universalis diluvii, Originalis peccati, conservatum est? dicit & nominat germen hoc Isaias cap. 11. & est sacratissima Virgo Maria: *Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Germen, radix humani generis Virgo MARIA ab interitu, ab excidio conservata est, Adæ peccatum non incurrit, immaculata permanfit, ac illæsa.

CONCEPTUS VI.

Miraculum audite Numerorum cap. 7. Virga Aaron floruit, ac amygdalas fructificavit: *Invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformari sunt.* S. Cyrillus Jerof. Ephrem de laud. B. V. Item Bernardus super missus. In i Ia Virga Aaron, Mariam Messæ Matrem intelligunt, & observant, quod Virga Virginem designans debuerit esse ex amygdalo: Cur ex amygdalo? Amygdala volunt naturalistæ, ante omnes alias arbores floret, dum reliquæ arbores adhuc nudæ, & aridæ, ab hyeme afflictæ consistunt, amygdala albedine florum compta, & candida resplendet, sicque omnes alias arbores virore, & flore præcedit. Pariter B. V. primo Conceptionis suæ instanti effloruit, venustaque, ac florens apparuit, eo tempore, quo cæteri Adæ posterii, nudi & aridi exlitterunt. Maria ergo sine macula.

CONCEPTUS VII.

Quærit Jeremias cap. 18. *Nunquid deficiet nix de Petra Libani?* Libanus Mons, idem significat, inquit S. Hieronymus, quod Candidatio. Nix à natura alba, & candida est, per nivem ergo, & montem Libani, Mariæ immaculatam conceptionem, candorem, & puritatem intelligendam esse, vult Hieronymus in cap. 4. Cantic. ita Serm. de assumpt. *Nihil est Candoris, nihil est splendoris, quod non resplen-*

resplendeat in Virgine gloriosa. Erat enim candidata multis meritum virtutibus, & dealbata nive candidior, Spiritus S. muneribus simplicitatem columba in omnibus representans. Ast, cur puritas, albedo, candor, ac innocentia Virginis, non aliis rebus candidis, ut bysso, papiro, sed rectè nivi, ac Libano semper albo à nivibus comparatur? Candor byssi, papiri, non est candor innatus, ast candor nivis à natura est talis, nix candida concipitur, generatur, candida spargitur, candida in terram descendit. Candori ergo nivis, non byssi, aut papiri congruè MARIA comparatur, quia nunquam sub tetro, & fulco Originalis culpæ colore fuit, sed candidissimum colorem innocentiae semper habuit, ab origine candida, pura, immaculata fuit: Ita Bernardinus de Busto in Mariali: Part. 9. Serm. 29. in festo nivis: Per albedinem Nivis figuratur innocentia, & puritas immaculatae Virginis, quae nunquam fuit maculata, vel denigrata per peccatum.

Imploremus ergo B. Virginem, ut Abraham olim Saram: *Novi Epilogus.*
quod pulchra sis, pulchra, immaculata; dic ergo coram tremendo
Judice quod soror mea sis, ut mihi peccatori
benè sit propter Te immaculatam.

Amen.



IN



IN FESTO IMMACULATÆ
CONCEPTIONIS
CONCIO TERTIA.

Textus. De qua natus est JESUS, Matth. Cap. I.

Thema. B. V. MARIAM, sine macula conceptam esse, ex congruentiis probatur.

Exordium.



Argaritæ, seu gemmæ, ac Unioni in concha super mare constitutæ, Academicus hanc epigraphen inscripsit: *Intra uterum jam pura*: S. Cyrillus Alexand. hom. contra Nestorium, B. V. Mariam intitulat: *Gemmam ac margaritam pretiosam orbis terrarum*. Epigraphen

Patres: quadrat: *Intra Uterum jam pura*. Immaculata; Audiamus PP. Ab originali delicto nullus excipitur, prater illam, qua genuit mundi Salvatorem, Laurentius Justinianus cap. de gradu perfectionis. *Macula non est in te, O MARIA, nec vicissitudinis obumbratio*, tradit sic Ambrosius Ansbertus super Cantic. *MARIA nunquam fuit in tenebris, sed semper in Lumine*, habet S. Hieronymus, in Pf. 77. Hoc imprimis adstruere fas est, quod anima ipsius & caro, in qua elegit sibi habitaculum Sapiencia Dei Patris, ab omni malitia, & immunditia purissima fuerit, inquit Fulbertus Carnot. Serm. de Nativ. Virg. *Statim ut anima B. Virginis fuit creata, fuit sanctificata, & Angeli in cælis celebrârunt festum Conceptionis*, perorat S. Vincentius Ferrerius Serm. 2 de Nativ. Virginis. *Sanè DEUS ipse æternus, sicut mira sua Sapiencia creavit omnia, sic illam benedictam Matrem suam talem condidit, & sanctificavit in tempore, qualem eam sanctam elegit in sua æternitate: & talem tam nobilitate nature, quàm refectione gratie condidit Matrem, qualem eam decebat habere suam gloriosissimam majestatem, quia in ea,*
& de

& de ea, debebat sumere, quod in eternum sibi erat unitum unitate persone, de quo exiret pretium totius liberationis, justificationis, & beatitudinis humane. Concludit S. Bernardinus Senens. tom. 4. serm. de Concept. B. V. ar. 1. cap. 1. Implorata S. Spiritus gratia, audiamus desuper Conceptus.

CONCEPTUS I.

S. Bernardus in Signum magnum, Christum dicit esse novum Adam, Mariam V. novam Evam: *Ut nobis novum Adam reformaret, ex veteri, & Evam transfunderet in Mariam.* Utique novus Adam Christus, & nova Eva Maria, non minoris, sed melioris conditionis fuerint, quam vetus Adam, vetus Eva? Ast vetus Adam & Eva, sine peccato, sine naevo, & macula creati sunt, ergo sine peccato, sine macula nova Eva: Virgo Maria. Sic subscribente S. Bernardino Senense tom. 3. serm. 49. part. 1. *Certum est, quod Deus creavit Adam sine peccato Originali ex limo terra, dein de costa ejus creavit Evam sine peccato: & certum est, quod Christus incarnatus fuerit Deus & homo, & fuit major quam Adam & Eva, & majoris dignitatis, & tantum interest inter eos, quantum inter Creatorem, & Creaturam: modò non est credendum, quod ipse filius Dei voluerit nasci ex Virgine, & sumere ejus carnem, quæ esset maculata ex aliquo peccato originali, imò credendum est, quod voluit sumere carnem ex carne purissima, & quod ejus mater fuerit plus quam Adam & Eva, qui creati sunt sine peccato originali.* S. Andreas Apostolus, in vita asserit. *Sicut primus Adam, formatus fuit de terra, antequam esset maledicta, ita secundus Adam formatus fuit de terra Virgine, nunquam maledicta.*

CONCEPTUS II.

Doctissimus Idiota in contempl. Virg. de Maria inquit: *Ad hoc te fecit, ut quod de primo opifice fuerat deformatum, per te reformaretur.* Ideò Christus humanam naturam assumpsit, ut per Adami peccatum depravatam, deformatam, inquinatam, sauciam, infirmam naturam iterum reformaret, sanaret, curaret, restitue-

E

ret;

ret; ergo illa natura, ex qua Christus carnem assumpsit, non debuit fuisse per peccatum Adæ infecta, corrupta, infirma, (per sanam enim medicinam infirmitates curantur, per salubria medicamenta foventur venenata vulnera) Christus autem per peccatum Adæ veneno infectam naturam humanam curaturus assumpsit humanam carnem, de carne, sanguine, & lacte B. Virginis, ergo humana natura B. Virginis peccato Adæ non debuit fuisse infecta, ac venenata, sed tota munda, sana, immaculata. Probo ulterius verbis S. Pauli.

CONCEPTUS III.

Ad Hebræos c. 7. inquit Magnus Apostolus de Christo Domino: *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, segregatus à peccatoribus*: Notate: *Segregatus à peccatoribus*. Si fuisset B. V. per momentum tantum, in originali, Christus à peccatoribus non fuisset segregatus, ergo Maria nunquam fuit in peccato, sed sine macula noxæ originalis concepta est: Audiamus S. Thomam 3. part. quæst. 4. art. 6. ad 2dum. *Oportuit, eum qui peccata venerat tollere, esse à peccatoribus segregatum, quantum ad culpam, cui Adam subjacuit.*

CONCEPTUS IV.

David Psalmo 44. Christum dicit: *Speciosum præ filiis hominum, causalem adnectit: Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato*. Præ filiis hominum speciosus est Christus: in quo confitit illud Præ? Fors quia à piissima sanctissima matre natus est? ast & à piissimis parentibus progenitus est S. Joannes Baptista, alia ergo qualitas in Matre Maria invenienda est, ob quam filius ejus Christus est speciosus Præ filiis hominum: & quæ illa qualitas? est immunitas à peccato Adæ: ita Menæa Græca die 5. Januarii ode 5. *Architectus, & Dominator omnium Deus, ut ex incorrupto utero tuo carnem susciperet, humani generis TE PRIMATEM creavit, ô Domina, nulli unquam reprehensioni obnoxia*. Immaculata sine labe concepta Virgo, illud Præ Christo præstitit, unde speciosus Præ filiis hominum; quod David edocere voluit quasi causalem adnectendo: *Astitit Regina*

gina à dextris tuis in vestitu deaurato. A dextris stare, justorum, immaculatum est, juxta Matth. cap. 25. *Statuet oves à dextris.* Astitit à dextris Maria, astitit, ergo nunquam cecidit, nunquam jacuit in peccato originali, sed in prima gratia, innocentia, semper firma, tuta, integra permansit. Astitit insuper: *in vestitu deaurato: Aurum mixtura caret, aurum purum est;* loquitur Gregorius Nisēnus in Catena: deaurata vestis argumentum sit: Maria omni mixtura, ac scoria caret peccati originalis: omnimodè pura, munda, immaculata est.

CONCEPTUS V.

Mater unigeniti filii Dei electa est talis, quæ Virgo esset Corpore, ita Isaias: cap. 1. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. Virum non cognosco:* Luc. 1. Corpus B. V. Virgo debuit esse inviolata, intemerata; quanto magis decuit, ut anima B. Virginis, Virgo esset inviolata, intemerata, immaculata, à peccato originali immunis. Est hæc conclusio S. Bonav. in 3. sentent. disp. 3. ar. 2. quæst. 1. *Congruum fuit, ut illa, que placuit Altissimo, adeo ut fieret ejus Sponsa, & Mater filii Dei unigeniti, sic esset immaculata mente, sicut erat intemerata carne.* Quoniam ergo B. V. Maria, advocata peccatorum, gloria & corona justorum, Dei sponsa, & totius Trinitatis Triclinium, & speciosissimum filii reclinatorium; hinc est, quod speciali gratia Dei nullum in ea peccatum habuit locum. Exindè hortum bis clausum B. Virginem Sponsus deprædicat.

CONCEPTUS VI.

Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, Cantic. 4. cur hortum dicit B. Virginem? Rupertus in hunc locum respondet: *Nominatur hortus, quod semper ibi aliquid oriatur, quia cum alia terra semel in anno aliquid creet, hortus nunquam sine fructu est. Unde ergo hortus es TU, o dilecta dilecti? nisi quia in te natum est aliquid, quod nunquam desinit, & fructus tuus nunquam marcescit.* Flores & fructus, qui in hortis crescunt, communiter præstantiores, excellentiores sunt, quam qui crescunt obvè in campis, & pratis: Item in orto specialiter custodiuntur, observantur, excoluntur; ubi in pratis nulla horum cura est, imò ordinariè à bestiis conculcantur, inficiuntur. Hortus ergo dicitur V. Maria, ad innuendum: florem innocentiae, integritatis, puritatis B. Virginis præstantissimum, excellentissimum fuisse, specialiter à Dei providentia excultum, cu-

stoditum, conservatum. Nullum instans reperiri, in quo non fructus gratiæ, ac innocentiae fragrantia suavissimum odorem sparserit. Quando reliquæ arbores, ac flores in originalis culpæ hyeme, fructu & flore viduabantur, tunc B. Virgo floridâ amœnitate vernabat, & gratiæ fructibus redundabat. Hortus etiam bis clausus describitur: cur bis clausus? *Ut non solum de integritate corporis, quam & in conceptione, & natiuitate Verbi, illibatam seruari, locutum fuisse sponsum arbitraris, sed etiam de anima integritate, quam nunquam serpentis antiqui temeravit aspectus: ita Rupertus: Et mens tua nulli spiritali nequitia fuit unquam penetrabilis: Videlicet in nullo temporis momento serpentis pestifero veneno prostrata fuit virginea mens, sed semper, & pro omni tempore, omnis culpa ab hoc horto bis conclusa exulavit; conclusa bis, propter geminum custodiae munimentum, quo Mariæ corpus & anima servabatur, ne halitus tartarei draconis florem puritatis tangeret, inter arefactas filiorum Adæ mentes hæc singularis Virgo semper floreret. Concludit Sophronius serm. de Annunt. Verè hortus conclusus, hortus deliciarum, in quo consista sunt universa florum genera, & odoramenta virtutum, sicque conclusus, ut nesciret violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus.*

CONCEPTUS VII.

Fulbertus Carnotensis serm. 2. de Nativ. observat. B. V. natam esse in Septembri, in quæ Vico Nazareth. Cur rectè in Nazareth, & mense Septembri? respondet Autor: Nazareth interpretatur *Flos*. Nascitur Maria in Nazareth: *Flos innocentiae*. Nazarena est: ab origine florida, candida, immaculata. Nascitur in Septembri. In hoc mense verni flores marcescunt; ubi cœteri flores decidunt, marcescunt, nata est, & prodiit; florere, virere incipit, flos innocentiae: Virgo Maria: ut quæ marcedinem nescit, semper florida, immaculata.

CONCEPTUS VIII.

Corpus mortuum Salvatoris JESU involvendum erat in syndonem mundam: ita Marcus cap. 15. *Involvit illud in Syndone munda*. Sic in munda Syndone involutum corpus, sepultum, & repositum est in monumento Corporis adhuc ullius experto. Ita Lucas c. 23. *Posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat*. Notandum est, syndonem pro Christi corpore mortuo involvendo mundam, id est novam debuisse esse, & ut nunquam candorem & puritatem

ritatem amiserit, ac dein lota, vel mundata fuerit. Item sepulchrum non solum purum simpliciter, sed ita purum esse debuit, ut etiam nunquam fuerit impurum, & purificatum; exinde sic argumentari licet: Quod si talem ac tantam puritatem Deus requisivit in illa syndone, in illo sepulchro, in quo mortuum corpus JESU per 40. horas involvendum, reponendum erat, quomodo Deus non magis consuluerit honori, puritati, & innocentiae Mariæ, in cujus uterum involvendum, reponendum, erat vivum corpus JESU: *Omnia circa Corpus Jesu munda sunt, & nova, & omnia magna valde*, inquit Origenes in cap. 27. Matth. Quomodo non tota pura, ac munda, immaculata fuerit illa, de qua natus est JESUS, concludit S. Thomas de Villan. Sermon. 2. de Nativ. *Quidquid de Virgine scire cupis aut intelligere, totum in hoc clauditur breviloquio: de qua natus est Jesus, inde intelligas, nil gratia, aut perfectionis, aut Glorie, quam animus impura creatura concinere possit, defuisse.* Ergo sine macula concepta est B.V. Maria.

Epilogus

Hortor ergo omnes cum Gofredo Cardinale serm. 8. *Nihil in hujus Virginis laudibus hastemus: honorat siquidem filium, qui laudat Matrem, sine cujus laude placere Deo, impossibile est, & cum laude, ejus, nemo ei displicere potest. Hanc igitur sanctissimam, & admirabilem Virginem laudemus; quia Virginis filio, sine Virginis Matris laude placere non possumus. Diligamus eam sicut charissimam Domini Matrem, quam ipse diligit, ut propriam carnem. Quippe Virgo de caelo prospiciens, universorum Regina, suarum laudum decantatores benedictionibus coronat.* Scribit Sophronius in 30. Januarii in Vesperis S. Basilii & Josephus Confessor Ode. 9. de 70. discipulis: *Illorum omnium est salus, quotquot assiduis tibi gratulantur vocibus, & plaudunt. Amen.*



E 3

IN

PRO FESTO S. THOMÆ
APOSTOLI

CONCIO PRIMA.

Textus. Non erat cum eis. Joan. 20, cap. -

Thema. Absentare se à Piorum consortio, salutem quamplurimum obest, ac nocet.

Exordium.



Justorum collegio, & cœtu optimis moribus instituto recedendum non est: absentare se à viris timoratis, est salutem suam periculo exponere; evitare disciplinam, est casum quærere, est perire, ipse recessus, ingerit pravitate exemplum. Audiamus Sacræ Scripturæ

*Scripturæ
Sacrae.*

textus: *Vae soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Eccl. cap. 4. *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Prov. cap. 1.

Patres:

Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Luca cap. 9. Et SS. Patres libeat percipere: *Facile a superna Jerusalem excluditur, qui à justorum congregatione fuerit segregatus, ideoque cum omni circumspèctione, & animi maturitate studeat promoveri, quisquis in hæc sancta collegia Deo*

Laurentius

dicata vocatus est, ne diaboli fallacia, aut sui negligentia, amoveatur ab illo, hortatur S. Laurentius Justinianus de disciplina Monastica: cap. 7. Multos in discrimen animi solitudo dejecit, erraverunt quidam in solitudine, & à serpentibus perierunt.

Petrus Bless.

runt quidam in solitudine, & à serpentibus perierunt. Petrus Bless. cap. 9. *Ubi non timetur reprehensor, securus accedit tentator;*

Bernardus.

licentius perpetratur iniquitas, docet S. Bernardus apud Niffenum lib. 4. cap. 1. Dicam, quod sentio, inquit Cantipratanus apud

Cantipratanus.

Lohnerum in Bibliothecâ: Verbo, Societas: Credo, solis, & sine so-

ciis

cis foris ambulantis, mille infortunia, & plura, quàm credi potest, sepius occurrisse, in quibus nec opere, nec saltè animo offendissent, si justus fratris socius affuisset. Unde S. Bernardus serm. 1. de Spiritu Sancto, in hodiernum testum S. Thomam alloquitur: *falle-
ris Thoma sancte, falleris, si videre Dominum speras ab Apostolorum collegio separatus; non amat veritas angulos, non ei diversoria placent.* Dei gratia desuper Conceptus proferam.

S. Bernardus

CONCEPTUS I.

Confirmatio.

Miserandos ruinarum casus, duce & origine, à bonorum recessu numeramus: Eva prima Mater in inobedientià prolapsa ruit, contra divinam inhibitionem de fructu prohibito comedit; fors lapsus causam incusabit serpenti? non tentasset serpens, non seduxisset, nisi Eva accessisset; Quia ergò Eva, à justo viro suo Adam se absentavit, vaga, & incuria, sola sine Adam in Paradiso discurret, ecce in periculum tentationis devenit, ac lapsa: est hic Conceptus Ruperti Abbatis sic concludentis: Lib. 3. in Genes. cap. 2. *Mulier corpore, & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, fortè prospectans, qualis extra Paradisum mundus haberetur, & serpens utpote astutus dulcedini terra propius, vel ambitiosius innittitur, locus diabolo datus est.* Si à latere justus non recessisset, serpens insidias prætere non valuisset, invenit tamen fallendi occasionem, dum à viro & justo separatam invenit.

CONCEPTUS II.

Uxor Loth, Angelico adjutorio ab incendio Sodomæ salvata tandem in via, in itinere periit. *Versa est in statuam salis,* Genes. cap. 19. Quæ est causa tam lugendi interitus, ac tam horrendi supplicii? causam allegat Sacra Scriptura citato capite: *Respicensque Uxor ejus post se: id est, explanat Dionys. Carthus. Mente & corpore retrospectans, faciem suam versus Sodomam dirigendo, cum inordinato affectu ad ea, quæ reliquit, versa est in Statuam salis.* Quamdiu illa femina amavit societatem justus sui mariti, quamvis non esset adeò virtuosa, tamen cum sancto meruit sancta reputari.

ri,

ri, & à communi supplicio liberari, verum dum Maritum deserit, à viro suo iusto se avertit, Sodomam versus se convertit, cum perversis fuit reputata, & tam graviter punita: Audiamus S. Augustinum lib. 2. de mirab. Sacræ Script. *Quamvis mulier propter contubernium iusti eruta sit de incendio, pepercitque incendium illi, ubi conjugis gaudebat consortio, dedit tamen pœnas criminum, quando oculos avertit à iusto marito.*

CONCEPTUS III.

Judas, qui diu Collegio Apostolico associatus, inter Apostolos connumeratus, vixit: tandem sceleratissimus à demone obsessus, desperans; Laqueo se suspendit, æternæ damnationis se reum fecit, quomodo vir Christi societati adjunctus, à Christo tot virtutibus instructus, tot charitatum actibus, ut communione in ultima cœna, pedum lotionem, spirituali exhortatione fatus, ac excultus, tam perfricata mentis, ac sceleratus effectus est, causalem ruinæ Judæ adscribit S. Evangelista Joannes cap. 13. quia societatem optimam Christi, & Apostolorum deseruit, ab his se subduxit, absentavit. *Cum ergo accepisset ille buccellam, exiit continuo.* Desuper Chrysoft. *Certè nisi ille exisset, proditor non fuisset:* & S. Bruno: hom. de prodit. habet: *Quia à discipulorum consortio segregatus, ad Principes Phariseorum se contulit, & postea ad desperationem, & laqueum devenit.* Tantum nocet, à proborum consortio, ac sodalitie se subducere, absentare,

CONCEPTUS IV.

S. Vincentius Ferrerius consortium bonorum multis carbonibus vivis in unum congregatis comparat; hac de causa: Carbones vivi, quamdiu in unum congregati manent, unus alterum inflamat, ignitum facit; separatur autem carbo à carbone, brevi exstinguitur, emoritur; sic qui bonis adhæret, optimis eorum moribus & exemplis inflammatur in virtutibus, in pietate, modestia, castitate proficit, ac confirmatur; si segregatur à consortio bono, tepescere incipit in actibus virtuosis, sensim corrumpitur,

per-

perdit fidem, nauseat pietatem, fit dissolutus, peccaminosus. Hoc experti sunt Sancti quoque; in hunc finem libeat perpendere quod narrat S. Matthæus c. 17.

CONCEPTUS V.

Quidam afflictus Pater in absentia piissimi Magistri, & Discipulorum Petri, Jacobi, & Joannis, ad reliquos Apostolos, filium suum à Dæmone obsessum deduxit, rogans: ut ab hoc nefando inquilino filium suum liberarent: dicit nunc S. Matthæus: *Non poterant curare eum.* Cur non poterant? respondet Christus: *Propter incredulitatem vestram.* Ecce, una absentes die à Christi consortio, ac reliquorum discipulorum societate, tepescunt in fide: *Infirmari sunt discipuli, sed non omnes:* inquit in citatum caput Matthæi Hugo Cardinalis; & Ferus de S. Thoma scribit: *Semel se se à discipulorum consortio segregaverat suo id damno maximo, exspoliavit enim se contemplationis DEI dono.* Tantum nocet se à justis absentare.

CONCEPTUS VI.

Saul Rex factus est inter Prophetas: 1. Regum cap. 19. de quibus Prophetis glossa: *Viri religiosi erant:* hoc est, dono Prophetiæ clari, viri mites, mansueti, modesti, timorati erant, & talis factus est Saul, cum talibus: *Abit in Najoth, in Ramath, & factus est etiam super eum Spiritus Domini.* Propheta, Spiritu Domini repletus, non mansit Rex Saul; imò in crudelem, Tyrannum mutatus; eum Spiritus malus in nefanda scelera, in homicidia innocentium, in negromanticas superstitiones concitavit, tandem in desperationem, & propriam carnificinam induxit: *Arripuit itaque Saul gladium suum, & irruit super eum:* 1. Regum c. 31. Causalis, quod Rex Saul tam perverfus factus sit, hæc est: Cum Prophetis, cum viris justis non permanfit, ab his se separando, segregando, tam iniquus, sceleratus, desperatus effectus est; Justorum consortium deserendo, sensim tepescimus, depravamur. Optimè in hanc rem Seneca: ep. 5. *Hoc primum Philosophia promittit, sensum communem, humanitatem, & congregationem; à qua professione dissimilitudo separabit.*

F

CON-

CONCEPTUS VII.

In Laïs apud Danitas, primò omnium inter Judæos Idololatria floruit: *Posuerunt sibi sculpile*: Judicum cap. 18. Quomodo Danitæ in Laïs facti sunt Idololatræ, cum filii Israël verum Numen ac Deum undique colerent? An non tribus Dan mirabilia, ac magna- lia Dei in deserto vidit, & experta est? nunquid non, ut cœteræ tribus, à Moysse, ad cultum Veri Dei edocti sunt Danitæ? quomo- do ergo omnium primò deficiunt, scelerati facti sunt Idololatræ? Abulensis quæst. 5. in cap. 17. Judicum respondet: & assignat errori Danitarum, separationem à cœteris filiis Israël: *Licet cœteri Israe- lita colerent Deum, isti colebant Idola, quia erant separati.* Laïs civitas, & Regio, quam Danitæ inhabitabant, à cœterorum habi- tatione plurimum distabat, unde ut loco, ita & à cœterorum mori- bus dissidebant, & Idololatriæ vacabant: Separatio patrocinabatur criminibus, ut quantum separati ab exemplo bonorum, tantum appropinquarent peccatis: Est ergo ingens detrimentum à justo- rum convictu, & consortio recedere, segregari, se absentare.

Epilogus.

Ergo Justi consortium, societatem nolite deserere, à viris justis, bonis, nolite separari, sed firmiter & constanter conjuncti perma- nentes simus, ut sine Sanctis non miserè pervertamur.



IN



IN FESTO S. THOMÆ
APOSTOLI

CONCIO SECUNDA.

Et Thomas cum eis. Joanis 20.

Textus.

Societas cum bonis, ac timoratis, plurimum
prodest.

Thema.



Nicam causalem quod nunc S. Thomas firmiter credat, *Exordium.*
in affectus amorphos prorumpat: Dominus meus & De-
us meus, ponit S. Evangelista: Thomas erat cum eis. Cum
Apostolis inquam: Discimus hinc, ut nociva est conver-
satio cum improbis, sic justorum societas invenitur pro-

ficua: *Omniū societatum nulla prestantior, nulla firmior est, quam
cum viri boni moribus similes sunt familiaritate conjuncti,* inquit Se-

neca ep. 11. Sacra Scriptura confirmat: *Cum Sancto Sanctus eris, &* *Textus Sa-
cum viro innocente innocens eris, Ps. 17. Qui cum sapientibus graditur
sapiens erit. Prov. 13. Et Christus Matth. c. 18. inquit: Ubi duo vel tres
congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum.* *Textus Sa-
crae Scriptu-
ra.*

Audiamus SS. *Patres.*
*Patres: Ad instructionem jungi bonis plurimum proficit, & ad probi-
tatis Testimonium, docet S. Ambros. lib. 1. offic. c. 45. Amabilis socius
est omnibus officiosus, & nulli onerosus, quia devotus ad Deum, beni-
gnus ad proximum, sobrius ad mundum, scribit S. Chrysostomus su-
per Matth. Et iterum in Psal. 4. si malos fugias, bonos sequaris, utrim-
que & virtus augetur, & decrescet vitium. Societas bonorum duplex
affert lucrum, scribit S. Bernardinus Senens. art. 1. cap. 1. Primum est
cognitio malorum ad evitandum, nam ubi plures virtuosi simul con-
gregati sunt, habentes plures spirituales oculos, plura vident, perspi-
catioresque sunt, atque amplius oculati ad evitandum mala. Per-
pulchre S. Gregorius hom. 5. in Ezech. Qui sancto viro adhaeret, ex
S. Gregorius
ejus*

Amabilis socius
S. Ambrosius
S. Chrysosto-
mu.

S. Bernardi-
nus Senens.

S. Gregorius

ejus assiduitate visionis, usu locutionis, exemplo operis, accipit ut accendatur in amorem veritatis, peccatorum suorum tenebras fugat, in desiderio lucis exardescit. Optimè S. Augustinus de amicitia: c. 3. *In rebus humanis nihil sanctius appetitur, nihil experitur dulcius, nihil fructuosius tenetur justis amicitia, habet enim fructus vite presentis & future.* Concludo cum S. Basilio in Psalm. 132. *Quemadmodum suaavia aromatum odora menta proprium per aëra, & continentem emittunt odorem, quo presentes recreantur, ita viri justis societas, sibi commorantium contubernio salutaris est, ac jucunda.* Imploratâ S. Spiritus gratiâ desuper Conceptus pandam.

S. Augusti
1. 4.

S. Basiliu.

CONCEPTUS I.

Duo ingentia beneficia collata Patriarchæ Loth Sacra Scriptura memorat: Primò, quod vir pius, timoratus, fuerit. Secundò, quod à Deo temporalibus bonis mirum benedictus, abundaverit: ita Genes. cap. 13. *Sed & Loth fuerunt greges ovium, & armenta, & tabernacula, non poterat eos capere terra, ut habitarent simul, erat quippè substantia eorum multa.* Unde Loth tot dona, & benedictiones? Sacra Scriptura adscribit confortio justis ABRAHÆ. *Loth, erat cum Abraham:* Cum Abraham, viro justo, ac Deum timente: Ex hac societate cum viro justo, ac Deum timente, tantarum benedictionum Scaturigo: ita Lippomanus in hunc locum: *Benedixerat Dominus ipsi Loth, ex consortio fidei cum sancto, ipsumque divitiis auxit, & morum sanctimonia eum decoravit, cum sancto enim sanctus eris:* Hoc ipsum expertus fatetur Laban.

CONCEPTUS II.

Jacob pius, ac optimæ vitæ adolescens, devenerat ad Laban apud quem servivit multis annis quàm diligentissimè; pariter timoratus Juvenis Joseph Phutifari in servum divenditus, domui ejus præfuit fidissimè: fatetur nunc Laban, à quo tempore Jacob ei servit, manifestè augeri substantiam suam; fatetur & Phutifar, à quo Joseph adest in domo sua, se incrementum rerum suarum sentire.

sentire. Unde hoc augmentum, ac incrementum? Fors industrio labori, sudori servientium adscribunt? non sic labori, quàm pietati, ac vitæ integritati secum commorantium optimorum juvenum. Audiamus textus: *Experimentum didici*, (inquit Laban) *quod benedixerit mihi Deus propter Te*: Genes. 30. Simili modo ob consortium integerrimi Joseph benedicta est tota domus Ægyptii: *Benedixitque Dominus Domui Ægyptii, & multiplicavit tam in adibus, quàm in agris cunctam ejus substantiam*. Genes. 39. desuper S. Ambrosius: lib. 2. de Jacob: *Vide quanta virtus, cui societas lucrum dabat, non irrogabat dispendium.*

CONCEPTUS III.

Saul Rex totus perversus, ac offensus Davidi, mittit lictores, ut compræhenderent David, & vinctum tenerent: *Misit lictores: ut raperent David*. 1. Regum cap. 19. Quid accidit: Lictores, iniquum, ac crudele genus hominum, mansuetissimi, religiosissimi, modestissimi facti sunt: *Factus est Spiritus Domini in illis, & prophetare ceperunt*. Primis aded mirabiliter conversis, mansuetis effectis, mittuntur alii, prioribus ferociores, quibus similiter contigit; *Prophetarunt & illi*: Ergo ipse Rex Saul, totus furiens, in persona propria, David insequitur, ascendit David comprehendere; & ecce: *Et factus est etiam Spiritus Domini super illum, & prophetabat*. Ipse Saul mansuescit, ira deposita, totus mitis, Deo devotus, timoratus efficitur: Unde hic mirabilis effectus? Effectus erat societatis timoratae, atque sanctae; morabatur pius David cum virtuosissimo Samuele, his piis, virtuosis, justis, se adjungentes lictores, & postea socians ipsemet Rex Saul: omnes pii, devoti, virtuosissimi, justissimi efficiuntur. Ita Tertullianus lib. de anima: *Cum in societate erat Deum laudantium dono Prophetia replebatur, qui, postquam ab eis segregatus est, à Damone vexabatur.*

CONCEPTUS IV.

Josue militem strenuum fuisse liber ejusdem testatur; tritum nunc est: milites raro pios, ac timoratos esse: Nulla pietas, fidesque viris, qui castra sequuntur. Josue autem, licet à juventute

miles, vir tamen Deo addictissimus, timoratissimus fuit, probant hoc inaudita miracula, cum ad Josue verbum, stent sol & luna obedientes; unde militi tanta fides, pietasque? dicit Scriptura: ex confortio cum Moysse servo Dei, iusto, Ita liber Exodi 24. cap. *Surrexerunt Moyses & Josue*: Subintrat hic S. Ambrosius: lib. 2. officiorum: cap. 20. *Tantus JESUS NAVE, quod eum non tam erudit ad legis scientiam Moysi societas, verum etiam sanctificavit ad gratiam, unde factum est, ut qui fuerat socius conversationis, fuerat etiam successor potestatis.*

CONCEPTUS V.

Musca foetida, ac putrida, à natura appetit, vana, & vaga circumvolat; factum est, & muscam naturam suam correxisse, munda, suaviter olentia, dulcia quæsisse, & solitudinem adamasse. Ita Propheta Isaias cap. 7. *Sibilabit Dominus Muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti. &c. & venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium, & in cavernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in universis foraminibus.* Unde vana & vaga, imunda, ac turpia appetens musca, facta est solitaria & cauta, casta ac munda? Non jam foetida, sed odorifera, ac dulcia quærens? dicit Propheta; Societatem Muscæ cum Ape esse causalem: *Sibilabit Dominus Muscæ & Api, quæ est in terra Assur, & venient, & requiescent. &c.* Apis, Virgo est, munda ac pura, Apis est, quæ fugit oculos hominum, fragantes amat favos, cœlesti rore, ac dulcedine pascitur. Ergo dum Musca Api conjungitur, de ejus confortio didicit immunda fugere, dulcia, fragrantia, inquirere. Aptè Drago Hostiensis: de Sacram. Dominicæ Passionis: *Sibilante ergo gratia, musca & apis conveniunt, & requiescunt, apis virgo est.* Quasi diceret: Confortio Apis Virginis, musca virgineos mores induit; miræ utilitates muscæ promanarunt.

CONCEPTUS VI.

Job cap. 39. Aquilam inducit prædis inhiantem, & cadavera depalcentem: *In petris manet, & in præruptis silicibus commora-*

tur, atque inaccessibleibus rupibus: Inde contemplatur escam, & de longe oculi ejus prospiciunt: pulli ejus lambunt sanguinem, & ubicunque cadaver fuerit, statim adest. Ezechiel de Aquila contrarium enarrat, non amplius deorsum, terram versus prospicere, escas contemplari, cadaveribus inhiare, sed ex integro meliorem, sursum oculos, cœlum versus levare, nonnisi cœlestia intueri, & divina anhelare; *Facies Aquila desuper ipsorum quatuor.* Ezech. 1. Unde Aquila, ex prædatrice, facta est abstemia, ex carnivora, jejunans? ex inhiante terrenis, nunc cœlestia appetens? motivum indicat sacer textus: *Dua penna singulorum jungebantur.* Inter facies, quas Ezechiel conspexit, erat & Cherub alatus: Cherub est zelosissimus, ferventibus spiritus, cœlestium, ac æternorum: *Dua penna singulorum jungebantur,* ergo & jungebantur pennæ Aquilæ, cum pennis Cherub. Sic conjuncta, sic sociata Aquila cœlesti Spiritui, in aliam mutatur, ad prædas deditit involare, non jam cadavera, sed cœli solatia, non ea, quæ deorsum, sed quæ sursum sunt, æterna respicit, anhelat, expectat. Audim hic allegare verba S. Hilarii: *Utilis est presentia justi, quia necesse est profectum aliquem ex societate, & contemplatione illius consequamur.*

CONCEPTUS VII.

De filio prodigo inquit Lucas cap. 15. *In se autem reversus dixit: quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus.* Desuper quàm optimè S. Petrus Chrysologus: *In se ante rediit, ut rediret ad Patrem.* Quomodo in se rediit? rediit considerando modum, quo iterum melior fieri, sicque emendatus gratiam Patris mereri possit: & qualem excogitet modum audite: Parenti enixè supplicat: *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Cur non potius supplicat, Pius Pater condonet ei delicta, ac pœnas promeritas, sicque iterum in gratiam recipiat: nihil horum rogat, unicum supplicat: *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Rogat: in societatem Famulantium Patri suo suscipi; cur societati famulantium tam signatè conjugari

jungi petit? Noverat in domo Patris sui nonnisi timoratos, pios, modestos, castos, justos ali, & foveri; vitia, scelera, longè hâc à domo exulare, & meram florere virtutem. Rogat ergo prodigus: *Fac me &c.* Suscipe me in societatem probè tibi famulantium, ab his meliora edoctus, eorum bono exemplo correctus, & gratiam Parentis recuperare, super scelera sua veniam, & remissionem impetrare confidit; sicque testatur, proborum consortium ad corporis & animæ incrementum esse quàm utilissimum.

Apilogus.

Hortor ergo cum Sapiente Prov. 13. *Cum Viro sancto assiduis esto, quemcunque cognoveris observantem timorem DEI.*
Amen.



IN FESTO S. THOMÆ
APOSTOLI.

CONCIO TERTIA.

Dominus meus & Deus meus. Joann. 20.

Textus.

Errores virtute opposita refarciendi sunt.

Thema.



Anctus Thomas incredulus erat, *Non credam.* Incredulitatem suam zelosissima fidei confessione compen-
sat: *Dominus meus, & Deus meus.* Discamus exhinc
omnes errores, & peccata, in quæ lapsi sumus, pœ-
nitentia abrogare, sed & virtute opposita refarcire.

Exordium.

Ita hortatur Sacra Scriptura Deut. 25. *Pro mensura peccati, sic &*
plagarum modus. Et Michæ. 1. *Super hoc plangam, & ululabo:*
vadam spoliatus, & nudus, faciam planctum velut Draconum,
& luctum quasi struthionum. Et Psalmo 6. inquit David: *Laboravi*
in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lachry-
mis meis stratum meum rigabo. Audiamus Patres: *Se errasse à*
Deo considerantes, damna præcedentia, lucris sequentibus recom-
pensent. docet nos S. Greg. hom. 31. in Evang. *Tanto ma-*
gis quis debet vincere operibus bonis, quanto prius institit malis.
S. Thomas in epistola ad Ephes: *Necessaria est pœnitentia, aut*
qua æquet crimina, aut excedat, docet S. Hieronymus in Jere-
miam. *Grandis squalor, & immundicia non levi purgatur dolo-*
re. inquit S. Ambrosius, lib. de pœnit. *Qualis præcessit offensio,*
talibus debet sequi satisfactio. hortatur S. Chrysostomus in Matth.
Qui te multum peccasse consideras, necesse est, ut nec in magnitudi-
ne, nec in diurnitate tibi parcas. suadet Richardus à S. Victore
in cap. 2. Thren. *Non sufficit pravitatem fugere, sed oportet quoque*
virtutem operari. loquitur Euthymius in cap. 3. Luca. Eleganter
Anastafius Nyffenus quæst. 4. in Script. ex S. Maximo: *Rapuiſti alie-*

Textus S. Scriptura.

Patres. S. Gregor.

S. Thomas. S. Hieronym.

S. Ambros.

S. Chrysostom. Richardus à S. Victore.

Euthymius.

G

na,

Anastasius
Nyssenus,

na, de cætero da etiam tua, scortatus es, castitatem exerce, & continentiam. In deliciis vitam egisti, & te inebriasti, sis sobrius, & bibe aquam. Conceptibus gratia Dei adjuvante stabiliam.

CONCEPTUS I.

Confirmatio.

Demandaverat Deus Jonæ Prophetæ: *Vade in Niniven Civitatem grandem, & prædica in ea* cap. 1. inobediens Jonas: *Surrexit, ut fugeret in Tharsis à facie Domini, & descendit Joppen, & invenit navem, euntem in Tharsis, & dedit naulum ejus, & descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis à facie Domini.* Quid contigit? vix in altum mare navis deflexerat; Dominus misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabatur conteri. cap. 1. Nautæ, nè omnes unà perirent, Jonam dejiciunt in mare? *Et preparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam, &c. & dixit Dominus pisci, & evomuit Jonam in aridam.* cap. 2. Vix piscis Jonam evomuerat: *Surrexit Jonas, & abiit in Niniven juxta verbum Domini, & Ninive erat Civitas magna, itinere trium dierum, & cepit Jonas introire civitatem itinere diei unius.* Cap. 3. S. Hieronymus hic: textum hunc: *Capit Jonas introire civitatem itinere diei unius:* sic intelligendum esse docet: *Viam trium dierum, unius diei festinatione complevit.* Cur Jonas tam celer & velox est, cur adeò festinat, iter trium dierum una die perficit? Respondet Hieronymus: Peccavit Jonas negligentia, inobedientia; desuper nunc pœnitet, inobedientiam, obedientiam promptissima, negligentiam summa diligentia, velocitate, celeritate recompensat: Ita Hieronymus in Jonam: *Ille præcepti, & superioris naufragii memor, viam trium dierum, unius diei festinatione complevit, & ita mirabiliter, damna præcedentia, lucris sequentibus recompensavit.* In nostrum documentum: inquit S. Gregorius hom. 31. in Evang. *Se errasse considerantes, damna præcedentia, lucris sequentibus recompensent.*

CON-

CONCEPTUS II.

Job 37. scriptum est : *Ab Aquilone aurum venit.* Aquilo pars est mundi frigidissima : Aurum effectus est regionis & operationis calidissima : Quid ergo mysterii latet , quod S. Spiritus Aquiloni , regioni frigidissima ; operationem calidissimam auri tribuat ? *Ab Aquilone aurum venit.* Non erravero , si per Aquilonem , Regionem frigidissimam , peccatum intellexero : ita me informante Jeremia cap. 1. *Ab Aquilone pandetur omne malum :* Per aurum verò intensionem , & gradum virtutum , ut castitatis , temperantia , amoris DEI , fervoris in servitio Divino. *Ab Aquilone aurum :* Sit sensus : fuit quis Aquilo peccando , malum operando : Fuit frigidus in amore DEI , frigidus in servitio Divino , *Ab Aquilone aurum.* Aurum præstet pœnitens peccator , nempe intensionem operationum virtuosarum ; non simpliciter , sed ut duo , ut tria , studeat amare DEUM , ac in servitio Divino fervere. Duplici amore , duplici servitio neglectum cultum DEI , intermissum divinum servitium , recompensare. Repeto verba S. Gregorii hom. 31. in Evang. *Se errasse à DEO considerantes , damna precedentia , lucris sequentibus recompensent.*

CONCEPTUS III.

Magdalena in civitate peccatrix. Lucæ 7. sincerè desuper pœnitet : *Ut cognovit , quod JESUS accubisset in domo Pharisæi , attulit alabastrum unguenti , & stans retrò secus pedes ejus , lachrymis capit rigare pedes ejus , & capillis capitis sui tergebat.* Placuit hæc insignis pœnitentia misericordi Domino , super peccata commissa liberaliter Magdalenam absolvit : *Remittuntur tibi peccata.* Aboluta à peccatis Magdalena , quid facit ? Humillima sæpius , & iteratò ad pedes JESU prostrata , dejecta jacet , incessanter madent oculi lachrymas doloris , ut ipse Dominus interponere moram , piè Magdalenam affatus sit : *Mulier quid ploras ?* Joann. cap. 20. Tandem triginta annis

nis rigidissimam in solitudine duxit vitam, jejuniis, & calligationibus corpus affligendo. Cur, o Magdalena, à peccatis cum absoluta sis, in tantum te, ut canis, ad pedes JESU humilias? cur fletui non imponis moram, cur tot annis austerè pœnites? Respondet S. Gregorius hom. 34. in Evang. *Consideraverat Magdalena quid fecerit, & noluit moderari quid faceret.* Consideravit suam superbiam, noluit moderari profundissima humilitate, ad pedes JESU se ut canem abjiciendo, recompensare; consideravit Magdalena suam lasciviam; noluit moderari, lascivias fletibus, risum singultibus, voluptates carnis triginta annorum jejunio, silentio, maceratione, asperitate nimia, resarcire.

CONCEPTUS IV.

Ter Dominus Petrum interrogat: *Simon Joannis diligis me plus his?* Joann. 21. Cur J E S U S Petrum ter interrogat? Eodem capitè narrat S. Joannes: Petro piscanti C H R I S T U S in littore apparuit; & licet alii discipuli navigio ad littus venirent, solus Petrus de navi exiit in mare, per undas ad suum charum Magistrum pervenire properat: *Tunica se succinxit, & misit se in mare.* Cur se Petrus mittit in mare, cur non ut cœteri discipuli navigio venit? ad utramque quæstionem respondet S. Augustinus: Tract. 103. in Joannem: *Tertiò, utrum Petrus cum diligit, Dominus interrogat; redditur enim trina negationi, trina confessio.* Ter negaverat C H R I S T U M Petrus in atriis Pontificis, ter stimulatur, trina C H R I S T I confessione, & amoris sponsione, perfidiam recompensare. Discamus hinc, inquit S. Chrysost. in Matth. *Qualis præcessit offensa, talis debet sequi satisfactio.* Hinc Petrus se misit in mari, Scribit S. Petrus Chrysologus serm. 78. *ut mare ablueret, quod peccatum taliter sordidaverat.* Omnium maximè se lavat, ut omnium maximè peccato se inquinaverat: Documentum nobis relinquens, notat Rabanus in 2. Paralipo: *Grande peccatum, grandi indiget pœnitentia.*

CON.

CONCEPTUS V.

David fatetur Psalmo 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Cur rectè lectum, ac stratum, cur non thronum regium, aut mensam lachrymis rigat? Lectum, stratum inquinavit David fœdo adulterio; Lachrymis lavat lectum, quem adulterio inquinaverat, voluptatem, quam senserat, mentis tristitiã, gaudium luctu, risum fletu compensat: Optime S. Chrysostomus hom. 22, ad Populum: *Si magnus est lapsus, grandi indiget penitentia.*

CONCEPTUS VI.

Jeremias lapsum Judæorum describens ait: *Peccatum peccavit Jerusalem.* Threnorum cap. 8. Subdit idem Propheta Judæorum actam pœnitentiam, inquit: *Plorans ploravit in nocte;* duplicat peccatum, sed & duplicat pœnitentiam; duplex illicitum gaudium, duplici deletur dolore, & animi contritione.

Ergo cum Sancto Thoma Apostolo errores commissos, virtute ^{Epilogus} opposita compensemus. *Quoniam ille salvus in futurum erit, qui in hoc seculo plus floverit, quàm peccaverit:* concludo cum S. Ambrosio lib. 2, de Pœnit. cap. 6.

Amen.





CONCIONES IN FESTUM NATIVITATIS CHRISTI DOMINI

CONCIO PRIMA.

Textus: Ev. angelii. Pannis eum involvit, & reclinarvit eum in presepio, Lucae 2. cap.

Thema. Cur Christus Dei filius, in signis tam vilibus, & exiguis, in mundum advenerit? nempe vilescit, ut misericors sit.

Exordium.



Textus S. Scripturae.

IN Veteri Testamento legimus saepius, Deum suam praesentiam hominibus manifestasse, sed semper in majestate, & magnificentia; sic Exod. cap. 19. apparuit DEUS in monte Sinai filiis Israel, & se eis manifestavit, sed in tonitru & fulgure: *Caeperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, &c. & timuit populus, qui erat in castris.* Item 2. Paralipom. c. 7. in Dedicatione Templi Salomonis Deus se praesentem exhibuit, sed in magna majestate: *Ignis descendit de caelo, & devoravit holocausta, & victimas, & Majestas Domini implevit domum, nec poterant Sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod impleset Majestas Domini templum Domini.* Et hodie se DEUS exhibuit mundo praesentem, ast in vilissimis signis; in forma infantis, laceris linteolis involuti, in stabulo super stramen in medio pecorum jacentis, & flentis. Audiantur in hanc materiam consolatissime scribentes Patres: *Suscipitur a Majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas;* ita S. Leo Papa ferm. 1. de Nativ. Domini. *In stabulo ponitur qui continet mundum, jacet in presepio, & super ipsum mugunt animalia, qui in nubibus tonat,* ita

Patres:

S. Leo.

ita Albertus Magnus. *Nunquid enim Thronus praeseptum, Aula regia stabulum, panni confusi, & veteres, regalis purpura, nodi colligationis & involuionis fibula, curiae regalis frequentia, Joseph & Maria: ita S. Ambrosius apud Mansi in promptuario disc. 3. num. 4. Vide ipsam Sapientiam Patris obmutescentem, fortissimum imbecille, Magnum humilem & abjectum, impassibilem passibilem, divitem pauperem, infinitum finitum: ita Didacus Stella in hac materia, &c. Adimpletum est ergo hodie, quod in sole materiali olim evenit, ut legitur Isaia cap. 18. Sol. 10. gradibus retrogressus est. Sic hodie Sol iustitiae CHRISTUS JESUS retrogreditur, DEUS immortalis, mortalis homo nascitur. Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, Joan. cap. 1. DOMINUS omnium servus factus est: Formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: ad Philipp. 2. Deus ditissimus, pauper & inops plorat & lachrymatur; DEUS potentissimus super paleas inter bestias jacet in stabulo, quid hoc mei Auditores? quid tam vilia indicia significant? Dicit significationem Guericus Abbas ferm. 3. de Nativitate: *Vilescit, quia misericors esse voluit, tenerior in affectu, quominor est in aspectu.* Melliflue perorat S. Ambrosius lib. 2. in Lucam cap. 2. *Ille parvulus, ille infantulus, ut tu vir possis esse perfectus, ille involutus pannis, ut tu mortis laqueis sis absolutus; Ille in praeseptibus, ut tu in altaribus; ille in terris, ut tu in caelis, ille locum in diversorio non habebat; ut tu plures haberes in caelestibus mansiones.* Consolatissime S. Thomas à Villan. ferm. de Nativ. Domini: *Felices lachrymae, quibus nostra abluuntur crimina, felices ploratus, quibus aeterna gaudia posidemus, felices panni, quibus nostra nuditas operitur, felix arctitudo praesepti, qua nobis amplitudo caeli donatur.**

Albertus Magnus.

S. Ambrosius.

Didacus Stella.

Guericus Abbas.

S. Ambrosius

S. Thomas à Villan.

CONCEPTUS I.

DEUS immortalis, mortalis nascitur homo, nostram mortalem, & corruptibilem carnem induit, cur hoc? explico me factum, quod Sacra Scriptura describit. Genes. cap. 27. sedula mater Rebecca studuit Jacobo charissimo filio, à sene Isaac paternam

Confirmatio.

nam benedictionem impetrare, audite, qualem actum maternus amor excogitaverit; à naturâ Jacob glaber, & lenis erat, Esau autem hispidus, mater ergo pellibus hœdinis, & hispidis, tegit nuda Jacobi, quæ hispida sentiens Isâac, ad benedicendum Jacob inducitur, & movetur: *Dei tibi DELUS de rore cœli, de pinguedine terra abundantiam frumenti, & Vini, & Olei. &c.* Auditores! Per peccatum Adæ humanum genus incurrit indignationem, & maledictionem Patris æterni CHRISTUS JESUS, ut amans mater, desiderat tollere hanc maledictionem, & loco ejus omnem benedictionem Patris æterni, generi humano impetrare; ad hoc exequendum ecce quem actum invenerit amor: JESUS undiquè lenis, glaber; liber ab hispidis peccatorum aculeis, hirsutam humanam naturam induit, & hanc naturam divinam contextit: quod sentiens Pater æternus, largam cœli, terræque benedictionem Jacobo, homini, impertitus est. In hoc se alterum Sampsonem demonstrans, Judic. c. 14.

CONCEPTUS II.

Sampson, ex mortui & abjecti Leonis ore, dulcem favum mellis exemit, & illo suos recreavit. Favus mellis divina est gratia & benignitas; humana natura abjectus erat Leo, abjecta inquam natura ob prolatam in eam maledictionem: hodiè Christus JESUS ex hanc abjectâ naturâ humanâ, illam assumendo dulcem favum mellis, recuperatæ gratiæ Dei Patris exemit, & omnibus hominibus degustandum attulit, humanum genus exhilaravit: Sic subscribente Apostolo ad Titum cap. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri DEI, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam, salvos nos fecit.*

CONCEPTUS III.

Nemo dubitat, quin non Christus ocyus perfectus vir in mundum advenire potuisset, cur ergo infans parvus natus est? iterum me explico pulchrâ figurâ Veteris Testamenti: 4. Regum cap. 4. filius

4. filius Sunamitis mortuus est; mœsta mater ad Elifæum Prophe-
tam currit, rogat, & supplicat; vitam det puero defuncto; quid
agit Elifæus? *Incurvavit se super eum*: incurvavit instar parvi
pueri membra sua, & grandem staturam contraxit: os, ad os
pueri, pedes, ad pedes, manus, ad manus defuncti posuit, &
ita defunctum vivum reddidit. Per maledictionem æterni Pa-
tris, mortua, sine gratia, jacuit humana natura; Mater Syna-
goga quàm intensè per multa annorum millia rogat, & obsecrat,
veniat Propheta magnus, vitam, id est, gratiam præbeat emor-
tuæ naturæ humanæ; *Rorate cæli desuper & nubes pluant ju-
stum, aperiatur Terra, & germinet Salvatorem.* Isaïæ 45. cap.
Venit hodiè ad preces toties, & tam longo tempore iteratas,
Propheta magnus CHRISTUS JESUS, & revera: *incurvavit
se super nos*, contraxit suam magnam & immensam Deitatem,
omnipotentiam, majestatem: infans parvus natus est: exindè
homo mortuus maledictione, revixit in gratia: ut iterum Pau-
lus ad Titum 3. *Ut justificati gratia ipsius, heredes simus secundum
spem vitæ æternæ.* Similis in hoc pio Samaritano Lucæ cap. 10.

CONCEPTUS IV.

Homo viator cecidit inter Latrones; qui plagis confectum,
femivivum deseruerunt; pertransit Levita, Sacerdos, &c. Tan-
dem ecce Samaritanus adveniens, miseretur pauperis, duos de-
narios in curam & salutem ejus elargitur. Homo est hic viator,
qui inter latrones; peccatum inquam Adæ, cecidit; pertran-
sierunt hunc miserum Angeli, & Sancti omnes, multis annorum
millibus, abjectum reliquerunt: JESUS piissimus Samaritanus,
hodiè hujus faucii miseratus, divinam, & humanam naturam, in
curam, & salutem miseri hominis, ut ita dicam, prodegit.

CONCEPTUS V.

Et nudus venit JESUS in hunc mundum, cur nudus? explico
me denuò figura veteris testamenti: 1. Regum 20. Saul, David
H ad

ad necem persequeretur, Jonathas, ut persecutum salvaret David, exiit se vestibus Regis, ac iis David induit; quibus indutus David, feliciter salvatus est. Hic persecutus David est homo maledictus, & undique ad interitum persecutus. Jonathas divinus, Christus Jesus intimè adamavit persecutum hominem, teste Scriptura Sap. cap. 8. *Delicia mea esse cum filiis hominum.* Ut hunc persecutum salvaret, ne aeternum periret, ecce hodiè vestes, & regium ornatum meritorum suorum detrahit, & exiit Christus, iisdem hominem vestit, & induit, quo astu homo iram Dei, & interitum evasit; gratiam invenit, ita canente Ecclesia: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelo, & incarnatus est, &c.* in hoc se optimum pastorem exhibens, de quo Matth. cap. 9.

CONCEPTUS VI.

Bonus Pastor reliquit nonaginta novem oves, & unicam perditam quaerit. Sic Christus hodiè 99. justos, Angelos inquam, ac Sanctos omnes, cum omnibus caeli deliciis reliquit, deseruit; unum perditum hominem quaerens, & humeris suis, medio crucis, ad ovile caeli deportavit.

Epilogus

Turcarum Imperator Solimannus brutali ira impulsus, filium in cunis jacentem Bajazetem occidere cogitat; crudelis Janitzarus, Barbarus Maurus, ablegatur, ut necem pusioni inferat; is praesto est, jam collo pueri laqueum adaptat innocentem interempturus; dum haec molitur, ecce infans suavissimè Barbarum arridet, sua brachia extendit, erga inimicum suum, quasi eum osculaturus; haec humanitas infantis adeò vicit Barbarum, ut à pessima sua intentione destiterit, innocentem non tantum non laeserit, sed abhinc intimè fovit, & coluerit. O Christiane, tu es ille Barbarus Turca, crudelis Maurus, qui blando & suavissimo puero Jesu, peccatis tuis sapius laqueum adaptasti, &c. Audivisti quàm hic infans humanus sit erga te etiam maximum peccatorem, quomodo te gratis & donis cumulaverit: homo natus est, ut tu DEI confors fieres: ad tan-

tam

tam inopiam se redegit, ut tu æternum dives & opulentus fieres; omnia cœli gaudia tui causa dereliquit, ut te horum participem redderet, &c. O non sis Turca deterior! conterere in corde, quod tam humanum offenderis, propone non facere amplius, recompensâ errata bonis operibus, ut in æternum infantis JESU humanitatem & benignitatem in cœlis experiaris.



H 2

PRO



PRO NATALI DOMINI

CONCIO SECUNDA.

Textus. *Natus est vobis, Lucae cap. 2.*

Thema. *Omni homini: etiam vilissimo, pauperrimo, natus est Christus in solatium.*

Exortium.

Textus S. Script.

*Patres
Eccles.*

*S. Maximus
Guericus
Abbas.*



Uod in bonum omnium hominum, etiam minimi, etiam vilissimi, natus nobis sit Christus: testatur nuncius de caelo Angelus: *Natus est vobis Salvator: Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo &c.* Luc. cap. 2. Isaias c. 9. confirmat: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & S. Apostolus ad Titum c. 3. Apparuit humanitas, & benignitas Salvatoris nostri Dei non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam, salvos nos fecit, &c.* Audiamus & PP. Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis: & incarnatus est: Orat. Ecclesia: Desuper Guericus Abbas: *Puer natus est nobis; non sibi, non Angelus, sibi inquam natus non est, ut scilicet hac nativitate, esse, aut melius esse inciperet, &c.* Angelis natus non est, quia Angelus ille, qui in veritate stabat, reparatione non indigebat, nec illius, qui ceciderat, casus reparabilis erat, &c.

Hinc inquit S. Maximus; hom. 1. de Nativ. *In Nativitate ejus, nostra omnium habet vita natalem: Iterum Guericus Abbas: serm. 2. de Nativ. Verè tu misericors puer natus es nobis, non tibi: lucra nostra, non augmenta tua noscens, de nobis quaesisti, qui ad hoc solum nasci dignatus es, ut nos minoratione tui proveheres.*

Nobis



*N bis ergo puer natus est, nobis filius Dei datus est, meus es, o bone Jesu,
& undequaque meus es, mihi natus à matre, mihi donatus à Patre.* S. Thomas à
Exclamat S. Thomas à Villa Nov. Conc. 4. de Nativ. uti probabo. Villanov.

CONCEPTUS I.

Extra urbem in stabulo natus est Christus: Ita Luc. 2. *Invenie-
tis eum positum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio, &c.*
Duplex oritur quæstio? cur Christus extra urbem nasci voluit: &
cujus erat illud stabulum, in quo natus est? Ad primam propositio-
nem respondeo, & me secuti moralitate explico; civitatis fores pa-
tent quidem omni hora nobilibus; non ita pauperibus; ac exiguis
rusticis; item in civitatibus qui nascuntur, morantur, cives suos
civitas nuncupat, & numerat: Non ergo nascitur in civitate, ne jure
suo Bethlehemitæ, Christum suum dicerent; non nascitur in civitate;
ne nobilibus tantum aditus ad Christum pateret. Nascitur ergo
extra civitatem in stabulo, quod nullius erat; in fundo communi:
Ut noscamus Christum communem, & natum esse omnibus; in sta-
bulo, ubi & vilissimo licet intrare, noscamus etiam vilissimis homi-
nibus patere accessum ad Jesum: qui ut pecora vivunt irrationabi-
lia, & hos non spernere Christum, sed illos ad præsepè suum to-
lerare, fovere &c. Omnibus natus est.

CONCEPTUS II.

David dum Arcam Domini è domo Abinadab in civitatem regi-
am transfert, ad hanc translationem omnes tribus & populos to-
tius Regni sui convocat, & citat. 1. Paralip. cap. 13. Cur David
omnes homines ad translationem Arcæ convocat? utique cum au-
licis suis, ac Sacerdotibus, sat honorificè Arcam transportasset,
cur etiam rusticos, & infimæ sortis homines, vult adesse? Abulen-
sis responderet: *ut crederent, quod ad omnes Arca Dei pertineat.*
Si solum Rex David, & magni Præceres regni adfuissent, pau-
peres, viles homines, dubitare potuissent, num ad ipsos Arca Dei
pertineat; num & ipsi in Arca Dei partem habeant: ut sciunt ergo
Arcam Dei ad omnes, etiam vilissimos, pertinere; omnes homi-
nes,

nes, vilissimos quosque, David ad translationem convocat. Arca novi testamenti est Christus JESUS, omnibus hominibus apparuit; inquit S. Paulus, & Angelus, *omni populo* communiat; ut discamus JESUM ad omnes homines pertinere, æquè esse pauperum, ac divitum, Regum, ac Rusticorum. Omnibus natus est.

CONCEPTUS III.

Ad Cœnam magnam Lucæ 14. non tam divites, & magni Domini, quàm etiam vilissimi mendici vocati sunt: *Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos & claudos introduce huc.* Quid hoc; quod & mendici ad Cœnam magnam vocentur? Cœna magna est JESUS incarnatus, ad hanc cœnam, non tam divites, & potentes, etiam infimi homines, & pauperes, vocantur, ut noscas, mi Christiane, JESUM incarnatum non spectare ad Reges, ad divites, & potentes tantum; etiam cuius obvio mendico JESUS est totus & proprius.

CONCEPTUS IV.

Exodi cap. 30. mandat DEUS, Annum 20. si homo accesserit, is indistinctè pro gratia vitæ concessæ Domino Deo medium siclum offerat, *Divites non addet ad medium sicli, pauper nihil minuet.* Cur vult Deus tam pauperem quàm divitem æquale pretium persolvere? Respondeo: ex æquali pretio, æqualis merces judicatur; æquale pretium, medium sicli pro vita sua solvit tam dives, quàm pauper; noscimus, omnes homines coram Deo æquales esse, æquè Deum aestimare pauperem quàm divitem, JESUM natum, pro medio siclo æquè totum esse pauperis quàm divitis; omni homini natus est Christus. Patet hoc ex cap. 4. Marci.

CONCEPTUS V.

S. Marcus narrat magnam turbam concurrisse ad Jesum, ut audirent illum. *Congregata est ad eum turba multa, ita, ut navim ascendens sederet in navi, & omnis turba circa mare super terram erat.*

erat. Navim pro Cathedra CHRISTUS elegit, cur hoc? Cur non in terra stans super monticulum, populo concionatus est? Respondeo: stetit JESUS super monticulum in terra, populus, & turma cinxisset JESUM, hoc est, circa circum JESUM stetit; in medio stans JESUS necessariò aliquibus ex auditoribus, iis nempe, qui ante ipsum stabant, faciem suam, iis autem, qui retrò & post tergum stabant, dorsum vertisset, & monstrasset; in policia mundi alicui faciem monstrare, idem est ac magni aestimare; dorsum verò ostendere, est vili pendere; non ergo monticulum sed navim conscendit CHRISTUS populo concionaturus, in navi sedit, & omnis populus stetit in litore, sicque optimus JESUS omnibus faciem suam, nulli dorsum monstrat: ut videamus, DEUM Salvatorem nostrum, CHRISTUM JESUM, non plus divitem quàm pauperem, sed omnes æquè aestimare; æquè aspicere, æquè fovere. Omnibus natus est.

CONCEPTUS VI.

Salvator noster, qui in communi stabulo natus est, tandem Jerosolymis crucifixus est. Cur rectè Jerosolymis? dicunt docti, Jerosolymam esse medium totius mundi. Desuper me moralitate sequenti explico: Ponamus casum, in media via duorum fundorum crescit arbor; ex hac arbore fructus, sunt fructus communes; spectant tam ad eum, qui ad dexteram, quàm qui ad levam manum, cum suo fundo huic arbori adjacet: in medio mundi, Jerosolymæ, mortuus est JESUS, ut noscamus fructum arboris Crucis, qui JESUS est, esse omnibus hominibus communem, tam eorum, qui ad levam, quàm qui ad dexteram, tam à fronte, quàm à tergo in quatuor mundi partibus morantur, & habitant.

O Christiane, si nunc naturaliter homo rem suam amat, *Epilogus.*
Pater pauper, pauperes suos filios magis amat, quàm alterius
liberos licet ditissimos, licet pulcherrimos, rusticus magis exi-
guam

quam suam casam , quàm regale Principis palatium diligit.
O ecce mi homo etiam pauperrime , vilissime , J E S U S æquè
tuus est , ac est Principis potentissimi : Ergo J E S U M tu-
um ama , dilige , amplectere pusionem ulnis , osculare cen-
ties. Indole, quod tuum JESUM non semper dilexeris,
cum proposito, impostero omnibus viribus
tuum JESUM amare , diligere , millies
potius mori, quàm offen-
dere.



PRO

PRO NATALI DOMINI.
CONCIO TERTIA.

Gaudium magnum. Luc. cap. 2.

Textus

Gaudiosa est dies Natalis Christi, quia omni homini est fructuosa, ac utilis, &c.

Thema.

IN Die Natali magnorum Dominorum, ac Regum festa gaudiosa celebrata sunt, sic legimus Genesis cap. 40. quod Regis Pharaonis Dies Natalis quotannis magno gaudio, & festivo tripudio celebratus sit. Idem Marcus cap. 6. de Die Natali Regis Herodis memorat; *Exordium.* est hæc gaudia & Festa Natalitia non erant sine luctu, sine læsione proximi, in natali gaudio Pharaonis periit peccator, pistor suspenditur; in natali gaudio Herodis Regis, Joannes, qui reus censebatur, interficitur, decapitatur; dein gaudium hoc natale solum erat uni genti, gaudium & tripudium tantum pro nobilioribus, plebs excluda erat. Natalis est hodie dies Christi Jesu, Regis Regum, Domini Dominantium, gaudiosa dies, sine luctu; non enim periit vel condemnatur, sed in gratiam assumitur perditissimus quisvis peccator; gaudiosa Dies, Dies Natalis Christi; non uni genti, sed universo orbi; gaudiosa Dies, Dies Natalis Christi; non tam probis, quam reprobis, *Patres.* non tam iustis quam etiam peccatoribus, non tam Primoribus, ut Regibus, Principibus, quam etiam vilissimis, pauperrimis hominibus. Audiatur Leo Papa: serm. 1. *Non enim fas est, ut sit locus S. Leo. ubi natalis est vite.* Et iterum eodem sermone de Natali Domini: *Exultet sanctus, quia propinquat ad palmam, gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam; animerur gentilis, quia vocatur ad vitam.* Aureè scribit S. Augustinus: *Deus factus est homo, ut homo fieret Deus; Deus factus est servus, ut homo fieret Dominus; Deus descendit ad terram, ut homo ascendat ad cælum.* Conformiter S. Bernardus *S. Bernardus* hom. 4. super missus est: *Magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus est parvulus.* S. Maximus Episcopus ita intonat: *Justissime fratres festivitatem presentis diei in omni se gaudium totus ubique suscitavit mundus, quia hodie promissus à seculo, universo orbi* *Judex*

Judex natus est, & Redemptor; Concludit S. Gregorius: Cæli Rex, terram nostra carnis assumpsit, infirmitatem nostram illa jam Angelica celsitudo non despicit. Hom. super hoc festum. Desuper Conceptus pandam.

CONCEPTUS I.

Confirmatio. Longo tempore pressi erant Judæi sub dura servitute Pharaonis (describe per longum ex libro Exodi cap. 1.) tandem Deus misertus afflictorum, misit ad populum Judæorum Moysen, qui ex dura servitute eos liberaret, & ad patriam, terram inquam promissam induceret: ut legere est lib. Exodi cap. 3. Quis satis explicare poterit, quantum gaudium inter Judæos fuerit, cum Moysen Salvatorem adesse intellexerint. Ob peccatum Adæ in servitute Dæmonis, Pharaonis, conjectum est genus humanum; omnes homines sclavi & mancipia dæmonis effecti sunt, ac sub durâ hac servitute nimium ingemuit humanum genus; hodie mittitur à Deo Patre Moyses Novi Testamenti, Christus Jesus, qui genus humanum è servitute dæmonis liberet, & per mare rubrum sanguinis sui, in terram promissam, & electam, gaudia inquam cæli inducat. Gaudet nunc captivus, si in libertatem se restitui intelligit; ac patriam suam revisere assecuratur, gaudium ergo magnum hodie hominibus &c.

CONCEPTUS II.

De Agar narrat Scriptura, Genesis cap. 16. ob malitiam ex domo Abrahæ expulsam, in deserto vagam errasse, ac de vita periclitasse; adstat tristi, & summoperè periclitanti speciosus puer, qui viam, quâ periculo evadat, monstrat, ad semitam, & tutam viam deducit; & quantum gavisa fuerit Agar, viso hoc viæ duce, & indice! Ob malitiam nostram expulsi sumus è Paradiso, ac jam aliquot millenis annis in deserto hujus mundi summo animarum periculo erravimus; hodiè natus est speciosus Juvénis Christus Jesus, qui nobis iter tritum, viam tutam ad paradisum demonstrat, meritis suæ natiuitatis in gratiam Dei Patris dirigit; ac in domum Dei iterum pervenire, fidus comes deducit; gaudet nunc peregrinus, qui fors in sylvâ deviat, dum viator obviat, qui viam tutam, & rectam ei monstrat.

frat, gaudeat hodie omnis homo, quoniam hodie obviavit nobis errantibus, & periclitantibus peregrinis in hoc mundo Christus Jesus; viator & ductor noſter fidiffimus, & expertiffimus.

CONCEPTUS III.

Narrat Joannes cap. 5. hominem 38. annis ad piscinam languidum jacuisse, & pauper non poterat convalescere, causam indicans: *hominem non habeo*. Advenit tandem aliquando homo, qui hunc languidum juvit, ut ad aquas perveniret, & sanitatem reciperet; & quantum gavifus sit ille languidus, hominem adiutorem dum acquisivit! Hic languidus est genus humanum, jacuit ad 4000. annorum destitutum genus humanum, nemo nec è cœlo nec è terra adjuvit; ast hodie venit homo adiutor Christus Jesus, qui meritis suis lethalter infirmum genus humanum, ad aquas baptismatis adjuvit; media qua aqua, sanitatem animæ recuperat, culpam Adæ abolet. Gaudet nunc qui longa infirmitate, aut alio morbo afflictus jacet, dum quis homo advenit, qui eum sanat, & restituit. Gaudeat ergo humanum genus, quoniam à lethali febri æternæ mortis, per Jesum hodie hominem factum, liberatum, & sanitati integræ restitutum est.

CONCEPTUS IV.

Dum Saul de Tribu Cis in Regem à Propheta Samuele proclamatus est, quis dubitat, quin non omnes de tribu & familia Cis lætati sint; certò gaudent parentes, gaudent consanguinei quando eis venit nuncium, filium, vel hunc de stemate eorum consanguineum, in magnum Dominum evalisse. Sic inquit Jacob audito nuncio filium suum Joseph regnare in Ægypto: *Jam lætus moriar*: Genes. cap. 46. Christus Jesus Dei filius secundum carnem nobis Frater factus est, dum hodie carnem humanam induit, & *Homo factus est*. Joan. cap. 1. Hic homo Christus, frater noster, & quantum exaltatus est! *Data est mihi omnis potestas*, inquit Matth. 28. gaudeat ergo natura humana, quæ, quia divinitati conjuncta est, non potest nobis non prodesse, & fructificare.

CONCEPTUS V.

Refert cap. 5. libri Esther: Signum gratiæ Assyriis fuisse, si Rex virginam auream erga aliquem hominum extendisset, ut experta est Esther

sther, quæ, quia virgam suam auream Asverus erga eam extendit, gratiam cum omni populo Judæorum invenit, libertati restituta, vita donata est. Dicitur Christus Jesus *Virga de radice Jesse*: Isaïæ 11. hanc Virgam, filium suum inquam, hodie Rex Regum, Pater æternus, erga omnes homines extendit, *natus & vobis* Luc. 2. Gaudet nunc reus, si gratiam, si misericordiam accipit, ergo gaudeat omnis homo, cum omnis homo hodiè gratiam Dei, & misericordiam invenerit, per Jesum Christum, gratiâ, & vitâ æternâ donatus sit.

Epilogus.

Gaudium suum homo demonstrat voce, & opere, voce jubilando, canendo, psallendo, &c. opere, donaria, missilia spargendo: gaudium nostrum demonstrando, vocem mittamus; precando & psallendo crebrius, & copiosius ad præsepe Christi. Spargamus & missilia; largas inquam eleemosynas in pauperes; convivium instituamus, devotè Eucharistiam sumendo, ut gaudium nostrum fiat plenum in æternam vitam. Amen.



PRO FESTO S. STEPHANI.

CONCIO PRIMA.

Video caelos apertos, & Jesum stantem, Actorum Textus.
cap. 7.

Præmium sequens, animat in arduis, con- Thema.
fortat in adversis, & ærumnis.

Sanctus Levita Stephanus dum traheretur ad suppli- Exordium.
cium, jam jam imbre lapidum obruendus, non est pu-
sillanimis, sed consolatissimus imbrem lapidum excipit,
aded ut de eo canat Ecclesia: *Lapides torrentis illi
dulces fuerunt.* Quid dulcoravit lapides? quid S. Ste-
phanum mediis in angustiis confortat, consolatur? dicit causalem
motivam invictus Levita: *Ecce video caelum apertum*, præmium
iutuitus est, & hoc confortavit, solabatur constantem, intrep-
idum, patientissimum fecit. Benè scripsit Marcus Seneca Epito.
Controv. lib. 5. Controv. 1. *Spes est ultimum adversarum rerum
solatium*: sic videmus intrepidè pugnare militem, mille vulneri-
bus corpus, & vitam extremis exponere periculis: interrogas
quare? respondeo propter spem promotionis, & spoliiorum. Ex-
perimur colonum, rusticum, vinitorem portare cum patientia
pondus diei & æstus, ob præmium fructuum, messis, vindemiæ,
&c. Te nunc alloquor O Christiane! *Militia est vita hominis*,
inquit Job. c. 7. ad labores, miseras nati sumus: *in sudore vultus
vesceris pane tuo*, Genes. cap. 3. in his quotidianis miseriis, ut
cum S. Stephano consolatus, confortatus vivas, & perseveres, cœ-
lum aspice, præmium, mercedem considera, & te miserum mirè
confortabit, consolabitur: fortem, indefessum, invictum reddet.
Audiatur Scriptura: *Non verearis usque ad mortem justificari, quo-
niam* Textu S.
Script.

Scriptores & *nam merces Dei manet in aeternum*, prædicat Salomon Eccles. c. 18. & iterum cap. 36. *Da mercedem sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inventiantur.* Scriptores audiantur & Patres: *Honor alit artes, suadet inaccessa tentare, & pericula honestè spernere:*

Emanuel de Naxera. perorat Emanuel de Naxera Commentario in Judices cap. 8. v. 1. §. 9. *Mutuat præsens calamitas à futura felicitate saporem, & jucundum est ad mercedis intuitum, discrimini se objicere: proposito enim præmio omnia fortiter sustinentur.* Ita habet Ildephonsus de Padilla in Habacuc Annotat. 12. cap. 3. discursu 8. *Nutriunt præmiorum exempla virtutes, nec quisquam est, qui non ad morum summam nitatur ascendere, quando irremuneratum non relinquitur,*

Theodoretus. *quod conscientia teste laudatur.* Ita Theodoretus apud Cassiodorum 2. Var. 16. Perpulchrè scribit S. Basilius homilia de Barlaam: *Pericula non respicit Martyr, coronas aspicit; plagas non horret, sed præmia numerat; non videt lictores infernè flagellantes, sed Angelos letis omnibus acclamantes imaginatur, non spectat ad temporalia pericula, sed ad præmiorum aeternitatem.* Concludit S. Hieronymus ad Demetriadem. *Omne opus leve fieri solet, cum ejus præmium cogitatur, & spes præmii solatium est laboris, ut Dei implorata ope Conceptibus deducam.*

CONCEPTUS I.

David in Psalmis suis sæpius hunc adscribit titulum: *In finem*. Cur rectè adnectit titulum *in finem*; & non potius titulum talem: *In initio, in principio*? Finem considerare nos David hortatur; cur finem? explico me praxi morali: Vadit quis rusticus ad messem, demetere segetes, alius in vineam, eam fodere, & excolere, messor initium longi Agri intuendo, Vinitor initium amplæ vineæ; Secutor lignorum, initium spatii lignorum videndo, concutitur animo, repetitis suspirat vicibus, videbis ergo angustiatum mercenarium, erecto vultu finem Agri, finem Sylvæ, finem Vineæ fixis oculis lustrare, & intueri; quæris cur tam attentè, ac fixè sæpius finem, terminum aspiciat laboriosus colonus; Respondebit, ad animi solamen, ad mentis levamen, intuendo enim finem agri, finem vineæ, crescit spes, brevi mercedem, præmium se sumpturum, requiem,

quem, ac refectionem se accepturum: Verba Davidis, *in finem*, textus Græcus legit: *in victoriam*: Finis, mi Christiane, virtutis tuæ, abstinentiæ, sobrietatis, castitatis, patientiæ in adversis, humilitatis in prosperis, est certa victoria, corona, merces, præmium, requies, retributio; hunc finem, victoriam, coronam, præmium, &c. toties in Psalmis suis hortatur David intueri, meditari, & mirum solamen animi, levamen mentis, robur, constantia, patientia inde excrescet; patato animo, hilari mente mundi adversa, & hominum injurias, ac tyrannides perferendi. Testes tot invicti martyres, de quibus S. Basiliius homilia ad Barlaam: *Pericula non respicit Martyr, coronas aspicit; plagas non horret, sed præmia numerat, &c.* ut supra in exordio.

CONCEPTUS II.

Infelix Epulo mediis in flammis inferni obsecrat Abrahamum: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam*, Luc. 16. mirandum, quod infelix hic, non plenum scyphum, sed unam tantum guttulam petat? quid per hanc guttam intelligendum est? dicit intelligentiam S. Gregorius Nyssenus discursu de resurrectione animæ; nempe per unam guttam minimum quid cœlestis gloriæ, mercedis, præmii, & dulcedinis, divitem Epulonem anhelasse; quasi certus, daretur ei spes obtinere & guttam unam cœlestis præmii, &c. & inexplicabiles inferni cruciatus ei dulces redderet: si nunc minima spes præmii cœlestis, & damnatum redderet in inferni tormentis consolatum; quomodo spes præmii, mercedis, gloriæ æternæ, quam repromisit DEUS omnibus diligentibus se, non consolabitur hominem viatorem mediis in miseriis, & tribulationibus hujus mundi, Psalmista attestante in æternitate felici non una gutta gloriæ, sed torrente felicitatum saturandos. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabunt eos*, Psal. 35. Desuper dulciter scribit S. Augustinus in soliloquiis cap. 32. *Tua dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit: Beato Laurentio craticulam dulcem fecit: Pro hac emenda Bartholomæus pellem dedit: Hanc verò ut gustavit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamavit quasi ebrius, dicens: Domine, bonum est hic nos esse!*

CON-

CONCEPTUS III.

Filii Israel Psalmo 136. canunt, & fatentur: *Super flumina Babylonis sedimus.* Sedere juxta fluvios in viridi gramine, usus habet, & per jucundum est; at super fluxas fluvii alicujus undas sedere, vix practicabile, imò impossibile videtur: quid ergo mysterii indicare voluit David, dicendo: Filios Israël super flumina Babylonis sedisse? quid per flumen, & quid per li sedere intelligendum? Nyssenius per flumen intelligit mundi inconstantiam, & graves mundi misérias, ac onera; sedere, communi adagio, est, contentum vivere: bene fedet; id est: consolatus, contentus vivit. Quod ergo David dicat, filios Israël super flumina sedisse, indicare voluit, in mundi miseris, servitute Babylonica, consolatos vixisse, æquo animo tribulationes à gentilibus tollerasse. Quæstio nunc est, quid Judæos in summa rerum mutatione: servitute tyrannica, consolabatur? Dicunt ipsimet in contextu Psalmi citati: *Super flumina Babylonis sedimus; dum recordaremur tui Sion.* Sion, idem quod cœli Patria, æternæ felicitatis gaudia. Perpulchrè ad scopum Cassianus Abbas in citatum Psalmum: *Nimis dulcis est recordatio Patrie, quæ in hostili terra probatur: nam quando hæc amara sentitur, tanto fit illa suavior.* Indicavit hoc ter optimus DEUS Ezechieli.

CONCEPTUS IV.

Durissima quæque perpeffi sunt Israelitæ, misertus eorum Ezechiel Deum precatur, consolari afflictos dignaretur; ecce tibi ocius rapitur Ezechiel in montem altum: Cœlum instar elegantissimæ Urbis, cujus pavementum auro stratum, portæ gemmis exornatæ erant, videndum Ezechieli exhibetur, hoc imperio adjecto: *Ostende domui Israel domum, & visionem illius, & dispositionem ejus.* Ezech. cap. 43. & quid inde eveniet, si Propheta Israël populo cœli elegantiam, gaudiorum abundantiam descripserit? eveniet mira cordis consolatio, quâ perfusi, durissima quæque pacatè patientur: *Et ipsi sustinebunt tormentum suum.* Consolatissimè Augustinus in Psal. 39. *Si vis sustinere laborem, attende mercedem, nam operarius in via deficeret, nisi attenderet, quid accepturus esset:* & S. Chrysostomus in Psal. 21. *Nihil eorum, quæ gravia sunt, grave aliquid existimat, qui cœlestia recogitat.* Testis natu minimus Machabæorum Martyrum.

CON.

CONCEPTUS V.

Viderat natus junior Machabæus: sex fratres suos crudeli morte interimi; non terretur; Antiochus Rex ipsèmet suavissimis verbis, & thesauros, & honores promittit, non movetur, ad unquam à Patriis legibus discedere, constantissimè impavidè ferro collum, corpus totum tormentis, heroica hac voce offert: *Quem sustinetis? non obedio præcepto Regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen.* 2. Machab. 7. Quare ego, quid puerum inermem, tam generosum constantem fecit, ut tormenta non horrens, mortem minimè expavescens, intrepidè membra sua torquenda carnifici tradiderit? fecit vivida cœlestis Patriæ recordatio, ut patet ex hortatoriis Matris: *Peto nate, ut aspicias ad cœlum, & ita fiet, ut non timeas carnificem istum.* Secutus piam Matris doctrinam, cœlum aspexit, cœlestia cogitavit, & horrida Tyranni tormenta non timuit, non expavit; sed ut candidus cygnus, hilari voce; canendo, inter tempestuosos adverlitatum, ac cruciatuum ventos, suaviter expiravit. Verissimè Sanctus Chrysostomus: *Nihil eorum, quæ gravia sunt, grave aliquid existimat, qui cœlestia recogitat.*

CONCEPTUS VI.

De Josepho ab Arimathia testatur Joannes cap. 19. *Erat discipulus JESU, occultus autem propter metum Judæorum.* Marcus cap. 15, inquit: *Joseph ab Arimathia nobilis decurio, audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus JESU:* Quid fecit, quod omnis Judæorum Tyrannis ac persecutio, non curetur, non horreatur amplius à Josepho, qui olim occultus, nunc apertus discipulus Christi, in arenam prodeat, & bona mundi perdere, & vitam prodigere? causalem subnectit S. Evangelista Marcus: *Et ipse erat expectans Regnum DEI.* Eleganter desuper S. Hieronymus: *Certè nullus labor est durus, quo gloria eternitatis acquiritur.*

CONCEPTUS VII.

In gloriosa transfiguratione narrat Matthæus Evang. Christi vestes candorem niveum induisse: *Vestimenta autem ejus facta sunt*
K
alba

alba sicut nix: juxta mentem S. Chrylostomi, Hilarii, Futhini facta est hæc Christi Transfiguratio ad solatium Apostolorum, ut memores ejusdem visæ gloriæ, intrepide cruces & tormenta carnicum sustinerent: conformiter verbis S. Pauli ad Hebr. cap. 6. *Fortissimum solatium habemus, quo confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus anime tue am, ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis.* admitto lubens mentem, & intelligentiam Patrum, unum est cuius miror, cur vestimenta Christi facta sint sicut nix alba; cur recte frigida nivis fit mentio, & comparatio? cum & flos arborum; narcissus & lilium, candorem præferant eximium? Non flori, narcissi aut lilio, sed Nivi candidæ in transfiguratione vestis Christi similis facta est; indubiè hanc ob rationem: nix ad solis radios liquefcit, deperditur: ita ad radios solis, æternæ gloriæ considerationem, omnis nix, & frigus temporalium miseriarum, & tribulationum è corde fidelis Christiani deperditur, evanescit, ut cuncta adversa, sapida; imò ipsa horribilis mors placida, ac suavis fiat: Testem produco ipsum Christum Salvatorem nostrum; ac magnum mundi Apostolum S. Paulum.

CONCEPTUS VIII.

Venerant ad Philippum Gentiles supplici hæc: *Domine volumus Jesum videre*: Philippus dicit Andree: ambo verò dixerunt Jesu: intellecto hoc nuncio quod gentes veniant suavissimum Jesum videre, inquit Christus: *Nunc anima mea turbata est*: Turbari, pati est: quod gentes veniant Jesum videre; Jesus non turbari; tristari, angari, aut pati, sed lætari, & gaudere ansam habet; cur ergo turbatur; quasi pati aspirat, mori desiderat? advertit doctissimus Cardinalis Toletus, inde quod gentes jam jam in Christum credituræ advenerant, gloriæ cælestis fructus Christo crevisse; hos ergo suavissimos fructus gloriæ Christus prægustans; in verba aspirantia prorupit: *Nunc anima mea turbata est* citius, ante præfinitum tempus, crucem & mortem exoptans sustinere: conformiter Verbis magni Pauli ad Hebræos cap. 12. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.*

CON.

CONCEPTUS IX.

S. Paulus 2. ad Corinth. cap. 1. & cap. 11. miseras & tribulationes, quas peressus est, magnas & supra modum fuisse dicit. *Non enim volumus vos ignorare fratres de Tribulatione nostra, quae facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus, super virtutem, ita ut taderet nos etiam vivere.* Et iterum cap. 11. *in laboribus plurimis in carceribus abundantius, & supra modum.* &c. Dicit nunc S. Paulus 2. ad Cor. cap. 4. *Id enim quod in presenti est momentaneum, & leve, tribulationis nostrae:* notare libeat: quod superius dicit Paulus, *grave, supra modum;* nunc dicit *momentaneum, & leve*, quid quæso momentaneum, leve, & exiguum fecit? Subdit immediatè Sanctus: *Non contemplantibus nobis quae videntur; sed ea, quae non videntur.* Caeli gaudia imaginatus est sibi S. Paulus, hæc intuita Oculo mentis: omnia gravia fecit levia; & momentanea. Probatum cum ergo sit præmium sequens mirè, animare, solari in adversis, hinc

Hortor cum S. Cypriano libro de mortalitate: *Nostram Patriam Epilogus. Paradisum computamus: Quid non properamus, ac currimus, ut Patriam nostram videre possimus? illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & passionis victoriam coronatus; ad hæc fratres charissimi avida cupiditate properemus, ut cum his citò esse, & citò ad Christum venire contingat, optemus.*

Amen.



K 2

IN



IN FESTO S. STEPHANI.

CONCIO SECUNDA.

Textus. Et JESUM stantem, Actor. cap. 7.

Thema. In arduis, & summis necessitatibus, vel maxime adest, & juvat DEUS.

*Concionis
Exordium.*



Sanctus Levita Stephanus vidit JESUM stantem; in Symbolo profitetur JESUM sedere ad dexteram Patris in coelesti gloria; Stephanus in caeli gloria non sedentem, sed stantem JESUM intuetur: *Et JESUM stantem.* Quid mysterii nobis indicatur, quod JESUM stantem Stephanus viderit? S. Augustinus nos instruit, in Psalmum 109, scribens: *Stare officium Advocati, & adjuvantis est.* Et S. Gregorius hom. 9. in Evang. *Sedere judicantis est: stare verò adjuvantis.* In Summo conflictu, in extrema necessitate positus erat Stephanus, ab omni homine desertus; à Synagoga, ad mortem usque persecutus, in extremis, stantem JESUM Stephanus intuetur. Stantem dico: id est adjuvantem: Discamus pro consolatione nostra: in arduis, in summis necessitatibus; vel maxime adest, adstat, adjuvat ter Optimus Deus. Patet assumptum Thematici, tum S. Scripturae textibus, ac SS. Patrum testimoniis. Audiantur: *Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde.* Psal. 33. *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Habacuc. cap. 2. *Cum serò esset, venit.* Joan. cap. 20. *Ibi praesto est Dei auxilium, ubi summum aderit periculum.* Fernandez: *Imminentibus periculis est DEUS propugnator servis suis.* Origenes hom. 9. in lib. Num. *Cum humana possessio deficit, possessio divina potentia adest.* Padilla in Habac. cap. 3. disc. 15. *Hoc proprium divinitatis est, succurrere in casibus desperatis.*
S. Cy.

*Textus Sa-
crae Scriptu-
rae.*

*Patres:
Fernandez.
Origenes.
Padilla.*

S. Cyprianus in Pl. 26. *Familios suos tunc magis respicit Deus, cum s. Cyprianus. injuste eos nequitia persequens affligit.* S. Gregorius lib. 2. mora. s. Gregorius. lium cap. 21. *Quando apud homines desperatum est, tunc potentiam & sapientiam suam Deus declarat.* S. Chrysostomus in cap. S. Chrysostomus. 12. Genesis. Et iterum in epist. ad Cyriacum: *Habet hanc consuetudinem Deus, ut succurrat, quando res est ad ultimum reducta.* Divina ope implorata desuper Conceptus pandam.

CONCEPTUS I.

Exodi cap. 4. jubet Deus Moyfi, Virgam suam prodigiosam in terram projiceret, quæ Virga in terram projecta, quia in terrificum serpentem mutata esset, horrens Moyses fugere cogitat: at jubet Deus persisteret, & serpentem caudâ apprehenderet. *Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus.* Cur jubet Deus apprehendere caudam, & non potius caput? Baëza lib. 2. de David, per caudam serpentis intelligit finem, seu ultimum fatalem terminum, cujusdam casus miseri, & desperati; non caput, sed caudam serpentis Deus jubet Moysem apprehendere, indicans: ad finem, ad terminum ultimum, & fatalem, dum res nostræ deducuntur, honor, fama, & vita periclitatur, casus periti, desperati habentur, tunc vel maximè juvare, patrocinari, assistere ter optimum Deum. Expertus est Moyses hoc sæpius.

CONCEPTUS II.

Exodi cap. 14. legitur demandasse Deum Moyfi, filios Israel educat ex servitute Egypti in terram promissionis: egressos Judæos insequitur Rex Pharaon cum ingenti exercitu & castra Judæorum offendit ad mare rubrum inter Magdalum & Beelsèphon; si nunc omnia benè perscruter, invenio Judæos in summo periculo, & extrema necessitate totius interitûs constrictos fuisse; à fronte stat mare rubrum; in hoc se immittere, est se submergere; à tergo armatus insequitur hostis: hunc expectare &

K 3

cum

cum hoc configere, manifestus est Israelitarum interitus, mors & exitium; ad dextram rupes Beelsephon, ad lævam, arida montana Magdalum prostant; ad hæc fugere, se salvare, idem est, ac velle fame ac siti se interficere; undique ergo filiis Israël patet interitus, casus desperatus, extrema necessitas: Annè è tam manifesto mortis periculo, in tam extrema necessitate, filios Israel Deus iuvit, liberavit? iuvit, liberavit, omnino; sacro textu testante: *Jam advenerat vigilia matutina, quando ecce respiciens Dominus supra castra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum.* Per vigiliam matutinam Tirinus quartam noctis vigiliam intelligit, notare libeat: in quartam noctem Deus Judæos in extrema necessitate constrictos reliquit; ex qua mora factum est, ut ex continuo itinere, & cita fuga vires corporum ad deliquium deficerent, animi, ex terrore panico, ad mortem consternerentur: Sicque necessitas de momento in momentum cumlaretur, & accresceret; & tunc Primò in vigilia matutina, in quarta vigilia noctis, cum quasi jam jam Judæorum res desperata videretur, adjuvit eos Deus, mittens nubem, quæ versus Aegyptios tenebras faceret, quo minus ab Aegyptiis Judæi videri, & comprehendi possent, versus Israelitas verò lumen & splendorem ederet, quo expeditius per medium maris rubri, quod mare, Deus una nocte vento urente exsiccavit, Judæi transirent, & se salvarent: *Et ingressi sunt filii Israel per medium siccis maris.* Desuper Lippomannus: *Docemur sperare in Dominum, veniens veniet Dominus liberabitque suos:* Et Origenes hom. 9. in Num. *Imminentibus periculis sit ipse propugnator servis suis.* Testis sit Jacob & Daniel.

CONCEPTUS III.

Jacobo obviam venit iratus frater Esau, hostiliter viris armatis stipatus, Jacob non nisi pastorium numerabat famulicium; in tam manifesto periculo pius Jacob ad preces confugit, auxilium è cælo flagitat; adest precanti divinus genius, opem promittit:

mittit, *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prevalebis, &c. & benedixit ei in eodem Loco. Genes. cap. 32. in lignum: tetigit nervum femoris ejus; & statim emarcuit.* De super quis non miretur: Angelus promittens Jacob opem divinam praestitutum, Jacobum claudum facit, si claudus fuisset Jacob, sperabam quia Angelus eum rectum, ac validum efficeret, sic enim aptior foret Jacob ad pugnam, & resistendum, vel incasum ad fugiendum; claudus Jacob certe ineptus ad fugam, invalidus ad pugnam factus est: Quomodo ergo verificabuntur verba, & promissa Angeli: *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prevalebis.* Libeat advertere: Jacob claudus effectus in majori periculo, in majori necessitate constrictus erat: promittens Deus juvare Jacob contra Esau; eò devenire permittit. Ut agnoscamus, tunc vel maxime Deum benedicere, adjuvare, patrocinari, quando res nostrae ad ultimum sunt redactae; quando humanitus est desperatum; tunc divinum quam celerrime, & elementissime reflorescit auxilium: ita vult glossa: *Claudus effectus est, ne fortis timeat fratrem, quia habet hanc consuetudinem Deus, ut succurrat in casibus desperatis.*

CONCEPTUS IV.

Daniel Propheta 6. diebus incubatus inter Leonés sedet famelicus: *Miserunt eum in lacum Leonum, & erat ibi diebus sex.* Danielis cap. 14. Septimo primum die misit Deus per Habuc Danieli cibum: Cur demum sexto, vel septimo die pavit famelicum? Et cur non succurrit tertia vel quarta statim die? ex Philosophia Valleii disco: Sex diebus sine omni cibo & potu vivere, hominem in summum vitae periculum exponi; uti Rex ipse in pastum sex diebus Danielei quasi jam mortuum lugebat: Scriptura teste: *Venit ergo Rex die septimo, ut lugeret Daniel.* Sexto, vel septimo ergo die, die inquam extremo, & fatali, & jam jam de vita desperato, cibo Danieli Deus succurrit; agnoscamus; in necessitate, in casibus desperatis vel maxime Deum adjuvare, & succurrere.

CON-

CONCEPTUS V.

Mitissimus JESUS miraculosè succurrit discipulis navigantibus, dum maris procellas imperio suo sedat, & tranquillat. *Imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Matth. cap. 8. Petro super maris undas gradienti adest insperatò Christus, & amicabilem porrigit dexteram. *Jesus extendens manum apprehendit eum:* Matth. cap. 14. Quæritis in quali statu constituti fuerint Apostoli in navicula congregati? dum Christi imperium, in ventos, & undas experti sunt: Item qualiter se Petrus habuerit, dum dextera Christi mulcetur? Respondeo quæstioni: Apostoli in navi, in extremis vitæ periculis versabantur: *Et ecce motus magnus factus est in mari: ita ut navicula operiretur fluctibus, &c. Domine salva nos, perimus.* Tunc surgens imperavit ventis & mari &c. natam libeat, *Tunc*, in extremis periculis, tunc, quando res cum homine est ad ultimum reducta; tunc, quando impetuosi fluctus tentationum, persecutionum, tribulationum & miseriarum hominem quasi operire videntur, tunc vel maximè Deus imperat, succurrit, adjuvat, tranquillum facit. Petrus super undas gradienti in extrema necessitate positus erat: *cum cæpisset mergi, &c. continuo Jesus extendens manum apprehendit eum.* Iterum notare libeat verbum *continuo*, quod idem est ac statim, celeriter sine morâ interpositâ; discamus iterum: tempore extremæ necessitatis & periculi, continuo & Deum auxiliatricem extendere manum; opem ferre, quod Christus indicavit in Cana Galilæa.

CONCEPTUS VI.

Patrocinanti almæ Virgini: *Vinum non habent:* Joan. cap. 2. respondet inclytus Mariæ filius: *Quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora mea.* Quomodo? an non omnis hora & tempus in tua est potestate? quæ ergo propriè hora Dei est? respondet Garfias in Evangel. dist. 132. est hora extremæ necessitatis, summi periculi & indigentæ; hora necessitatis, tempus est divino auxilio, & suc-

succursui convenientissimum ; dum exulat humanum auxilium , in promptu est divinum adjutorium. Habet hanc consuetudinem D E U S , ut succurrat , quando res est ad ultimum redacta.

Hortor ergo cum S. Joanne quemvis Christianum: *Chariss. Epilogus.*
mi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habeamus
ad DEUM, & quidquid petierimus, accipiemus: cap. 5. testan-
te, & subscribente Psalmista Regio: Clamaverunt justii, &
Dominus exaudivit eos, & de omnibus tribula-
tionibus eorum liberavit eos. Psal-
mo 33. Amen.



L

PRO

 PRO FESTO S. STEPHANI.
 CONCIO TERTIA.

Textus. *Video caelos apertos, & JESUM stantem. Acto-
 rum cap. 7.*

Thema. Quos Deus asperius tractat, subsequente
 gratia remunerat.

Exordium. **P**linius de Trajano Imperatore scribit: quod hujus Im-
 peratoris severior vultus, verba asperiora, imò planè
 verbera, prognosticum, & indicium erant futuri bene-
 ficii, & gratiæ; unde famulantes, Trajani vultum aspe-
 rum, verba rauca exoptabant, quasi jam certi de gratia
 subsequente: Ita cum Deo se res habet; quos rigidius tractat, lenius
 habebit imposterum; asper submittit mitiora: Audiamus desuper
 Scripturam: Isa. 46. inquit Deus: *Prope feci justitiam meam, non elon-
 gabitur, & salus mea non morabitur. Deus cum iratus fueris, miseri-
 cordia recordaberis.* Pl. 59. *Quos amo; arguo,* inquit Æterna Veritas
 Apocal. cap. 3. & Prov. cap. 3. *Quem diligit Dominus, corripit.* Au-
 diantur Scriptores: *Prudentis correptio, legitima amoris progenies
 est: Ulceri medicamentum adhibere, precipitio obstaculum correptionis
 opponere, ejus est, qui benevolè odit, & amanter affligit.* Scribit
 Naxera. Emanuel de Naxera Commentario in Judices cap. 15. n. 1. §. 5.
*Verba severitate plena, & qua minacem justitiam prasagunt,
 praambula sunt clementia signa; que vindicis ira instrumenta pu-
 tantur, profusionis clementia Probeta sunt.* Ita eleganter Ilde-
 phonsus de Padilla. Annot. in Habacuc. cap. 3. n. 2. disc. 12. *Per-
 versitas quam putas, ratio est, quod sevitiã existimas, gratia est.*
 Ita Tertullianus in scorp. cap. 4. *Durè objurgat Dominus, quos in-
 tendit consolari, ut scias correptionem Domini, signum esse appropin-
 quan-*

pinquantis gratiæ, Oleaster in cap. 3. Jonæ. Divinâ ope imploratâ *Oleaster*,
desuper Conceptus dabo.

CONCEPTUS I.

Genesis cap. 42. 43. & 44. Joseph Prorex Ægypti *ad fra-* ^{Confirmatio}
tres suos, quasi ad alienos, durius loquebatur: Exorta magna
fame, misit Jacob filios suos in Ægyptum frumentum coëmere;
primo intuitu agnovit Joseph, hos viros esse fratres suos; &
commota sunt viscera Joseph super fratres, ut eis beneficeret:
priusquam autem benefecisset, & eos gratis affecisset, durissimè
habuit tam verbo, quàm opere, & in re, eos vexando, & mor-
tificando. Audiamus verba aspera, dura, & ignominiosa: *Ex-*
ploratores estis: ut videatis infirmiora terra venistis, &c.
Eritis in vinculis donec probentur qua dixistis, utrum vera,
an falsa sint: Genes. 42. Verbis his durissimis subsequuta est in-
carceratio: *Tradidit ergo illos custodia tribus diebus*. Abeun-
tibus fratribus, & è custodia, ac carcere dimissis, utrò vexat,
& mortificat illos Joseph: pecuniam pro frumento, & sci-
phum, ex quo Joseph bibere consueverat, faccis illorum clam
imponi mandat; ac ut fures, & nequam in itinere eos de-
tineri, ac reduci facit. Hisque mortificationibus, vexationi-
bus, amaras ex oculis suorum fratrum elicit lachrymas; con-
tristavit cor, & mentes eorum. Cur quæso adeò exercet, vexat,
mortificat fratres suos Josephus? benefacere intendit, præmittit
ergo tentationes, & mortificationes; exhilarare cupit eos, præmit-
tit anxietates, tristitias; ad ita tribulatos, mortificatos, durè, &
asperè habitos, tandem inquit: *Ego sum Joseph frater ve-*
ster, &c. venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti,
ut comedatis medullam terra. Genes. 45. uti Joseph cum fratri-
bus suis fecit; sic Deus facit nobiscum hominibus: Verba ama-
ra, dura, & aspera quandoque eructat, severitatem demon-
strat, & munificentiam profusorem præstat, tristitia lætis com-
pensat. Amara dulcibus lenit; tangit adversis, & prosperis su-
bitò demulcet: Videamus hoc in Agar.

CONCEPTUS II.

Fugerat à Dominâ sua Sarâ, petulans ancilla Agar : proficiscenti obviat Angelus Domini, & Agar imperat: *Revertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius*: Genes. cap. 16. protervæ, superbæ, ac insultanti fœminæ Agar, vix aliquid magis odiosum, contrarium, ac sibi minus placitum, dici potuit; quàm: *Revertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius*. Nullus dubito, Agar reverti ad Dominam, servitutem maximam, & onus importabile existimaverit, hinc tristis, ac dolens, in lachrymas, & lamenta erupuerit. Quid Angelus ad tam tristem ac consternatam? socius læta, ac jucunda, placita, & prospera intimat: *Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudinem*. Eleganter desuper S. Cajetanus: *Hoc enim officium DEI est, & in persona DEI Angelus dixit: Adjunxit siquidem tristibus læta, adjunxit concupita, multiplicabo semen tuum*. Adversa sunt: infirmitas, persecutio, &c. humiliare, patere, mi Christiane, sequentur à misericordissima manu DEI tandem meliora, prospera, & consolatoria. Figuram habemus Isaïæ cap. 10,

CONCEPTUS III.

Hic comminatur DEUS Judæis iratum væ: *Va Assur Virga furoris mei!* per Assur figurabatur Rex Assyriorum, qui venit armatâ manu, Judæos è deliciis patriæ, in servitutem durissimam, & captivitatem Babyloniam transvexit. Vix hæc comminatoria protulit Propheta, iteratò demandatur à benignissimo DEO, nunciet Judæis: *Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*. Isaïæ cap. 11. Per Virgam Jesse expositores Beatissimam Virginem MARIAM, per florem, filium DEI unigenitum JESUM CHRISTUM intelligunt: *Quid est Virga Jesse MARIA, nisi communis omnium creaturarum Mater Misericordia, Quid est flos hujus Virginis CHRISTUS JESUS, nisi fons omnis gratiæ?* Furori iræ,

Iræ, indignationi, severitati optimus Deus immediatè subjungit Misericordiam, & gratiam. Discamus hinc, hortatur concinnè doctissimus de Padilla superius citatus: *Dei verba minas spirantia, & qua severitatem eructant, Prophetæ sunt pietatis, & quo plus ira mardefcit, eò magis redundat clementia.* Testis sit mulier Cananæa Matth. cap. 15.

CONCEPTUS IV.

Instantè salutem filie à dæmone vexatæ, postulabat mulier illa Cananæa, quam Chrillus acerbè excipit, & virulentis verbis repellit, *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Quid ad hæc mulier, an fors confusa recedit? minimè, consolata, confisa perficit: *Etiã Domine:* inquit, *etiam:* bonæ spei, impetrationis, acquilitionis, remunerationis consequentia est, ut scribit Sanctus Chrysologus serm. 53: sperat ergo mulier, se, quod petit, accepturam, unde quæso concludit hæc mulier, se, quod petit, impetraturam, gratia donaturam fore? *etiam Domine.* &c. Basilii de Seleucia Orati. 20. in persona Cananæa respondet: *contumeliam, teneo curatio- nis pignus.* Asperè me tractat Christus, ergo dignabitur curare filiam meam, durè me habet, ergo exaudiet, ergo medebitur Deus, optima in schola Christiana est consequentia; placet desuper exemplaria intueri.

CONCEPTUS V.

Durè habuit Deus Jobum: permittendo fieri mendicabulum infimeto: *testa saniam radebat, sedens in sterquilino.* Job cap. 2. Asperè tractavit Deus Tobiam cæcitate percutiendo: *Ex nido hircinorum dormienti illi calida stercore inciderunt super oculos ejus, fieretq; cæcus.* Tobie 2. Rigidè tractavit Deus Sufannam, permittendo, ut adultera ad rogam cremanda deduceretur. *Condemnaverunt eam ad mortem* Danielis cap. 13. Christus in nova lege torvo vultu increpat Petrum: *Vade post me Sathanas, scandalum es mihi.* Matth. cap. 16. Iratè objicit discipulis euntibus in Emaus: *Ostulti & tardi corde.* Lucæ 24. His duris, arduis, asperis, submisit Deus blandia, mitia, suavia. Jobum mendicum fecit duplo ditioem: *Addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Job, duplicia.* Job 42. Tobiam cæcum,

cœcum, fecit videre filium amantissimum, ac felicissimum. *Ecce ego video filium meum Tobiam: cap. 9.* Susannam restituit in integrum, *Salvatus est sanguis innoxius, non est inventa in ea res turpis. cap. 13.* in Proximo dignus fit Petrus in carne mortali videre clarificatum Dei filium. *Clarificatus est ante eos Matth. cap. 17.* Illuminatisimi, & in charitate flagrantissimi facti sunt discipuli illi. *Aperi sunt Oculi eorum, & cognoverunt eum. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis. &c.* Sic ludit æterna bonitas cum filiis hominum; asperis submittit blanda, duris delicata; noverat hoc eximiè pientissima Virgo Mater.

CONCEPTUS VI.

Pientissima Virgo MARIA in nuptiis Canæ in Galilæa advertens penuriam Vini; suavissimè interpellat suum dilectum filium; *Vinum non habent: Joan. cap. 2.* an fors filius gratioſo vultu, blando sermone annuit? asperè respondet: *Quid mihi & tibi mulier?* plus denegat, quàm annuit; & tamen Virgo Deipara, quasi jam certa de gratia impetrata, mandat famulantibus domûs: *Dicit ministris, quocumq; dixerit vobis facite:* Confidit indubia de miraculo: Unde confidit? audivit pia Mater verbum illud asperum, *Mulier;* exinde concludit, faciet, annuet, dignabitur,

Epilogu.

DEI enim insuavia verba, misertentis portant Mysterium; præfens verborum acerbitas, Propheta est subsequendæ pietatis; nam supplicia semper clementiâ compensat; & reciprocatur cum justitiâ misericordiam, Amen,



PRO FESTO S. JOANNIS
EVANGELISTÆ.

CONCIO PRIMA.

Exiit sermo iste inter fratres, quod discipulus ille non moritur. Joan. cap. 21. Textus.

Virginitas, & Castitas, est immortalis. Virgines non moriuntur. Thema.

Novam vitæ genesim puritas efformat, & infœcunda ad prolem castitas, ad vitam generandam fecundissima est. Exordium.
Supra mortem se erigit pudicitia, & immortalis à funere evadit: perorat de Padilla Annot. 11. in Habacuc cap. 3. v. 15. disc. 6. Virgo Joannes Evangelista fuit; teste S. Thoma, qui in cap. 13. Joannis scribit: *Mundiciam à puero habuit; & Ecclesia subnectit: Virgo est electus à Deo; & Virginem Virgo commendavit.* Audiamus de Virginitate S. Joannis Evangelistæ disserentem S. Damascenum serm. 1. de S. Joanne: *Beatus Joannes tantò reliquas Virgines superat, quantò Virginitati beata Maria per sedulitatis, ac perpetuæ custodiæ meritum appropinquet, à qua sola videlicet præceditur; ita ut sicut veneranda Matris Domini Virginitas, beati Joannis Virginitatem excedit; sic ipse pro glorioso ejus contubernio cæteras à mundi primordio Virgines antecellit.* Nolentes ergo cæteri Apostoli Joannem castissimam esse virginem, inferunt: *Discipulus ille non moritur: immortalis enim est Virginitas; Audiamus desuper DEI Verbum: Felix est Scriptura. Sterilis, & incoïnquinata, &c. habebit fructum in respectione animarum.*

- marum sanctarum. Ita Salomon Sapientiæ cap. 3. & cap. 4. O quam pulchra est casta generatio, &c. immortalis est enim memoria illius. Angelus Joanni profitetur: Apocalyp. cap. 14. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, Virgines enim sunt, hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Qui seminant in spiritu, de spiritu & merent vitam internam, ad Galatas cap. 6. Audiantur & Patres:
- Patres.* Virginitas corona est, que nunquam marcescit, mortem destruens, possidens verò immortalitatem, S. Achanasius lib. de Virg. Vivendi sibi usum quasivit è cælo, que Sponsam sibi in cælo invenit. Hæc nubes, aëra, Angelos, sideraque transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, & toto haustit pectore, ita eleganter de
- S. Ambrosius* Virginitatis laurea perorat S. Ambrosius: lib. I. de Virg. Sola est castitas, qua in hoc mortalitatis loco, & tempore, statum quendam immortalis gloriæ representat. Sola inter nuptiarum solemniam beatæ illius vendicat regionis, in qua nec nubent, neque nubentur, præbens quodammodo in teris, cælestis illius conversationis experientiam, ita mellifluè S. Bernardus epist. 42. Nulla virtutum tam propriè carnales homines Spiritualibus Angelis imitatione conversationis æquantur, quam merito, & gratiâ castitatis; per quam adhuc in terra degentes habent, secundum Apostolum, municipium in cælis, quod deposita corruptelâ carnali habituros Sanctos promittitur in futurum, hinc jam in carne fragili possidentes. scribit S. Cassianus lib. 6. cap. 6. Quod futuri sumus, vos jam esse captis, vos resurrectionis gloriâ in hoc sæculo jam tenetis, per seculum sine seculi cogitatione transitis, cum castæ perseveratis, ac Virgines, Angelis Dei estis æquales. ita S. Cyprianus de habitu Virg. lib. I. Nonne tres Pueri Virginitatem colentes igne periores evaserunt, per Virginitatem corporibus ab igne inexpugnabilibus factis? Nonne Danielis corpori Virginitate solidato, ferarum dentes insigi non potuerunt? Ornate perorat S. Damascenus lib. 4. Orth. fid. cap. 25. Concludo: Ergo Virginitas immortalis: uti invocata Dei gratia, Conceptibus deducam.

CONCEPTUS I.

Ad cruentum factum rabidi Cain, inflictam inquam cædem, & mortem Abelis, adest præ foribus justus Deus, iniquo Cain delictum exprobrat, indicando: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, Genes. 4. Notare libeat verbum: *Clamat*: Ponamus nunc casum: Fatali quis vulnere cruentatus cadit, quamdiu, licet pallentibus labiis, adhuc loquitur, mortuus non censetur, sed vivus, & superstes est; Nunc ad factum: Abel quidem prostratus jacet; sed, teste DEO, clamat, loquitur: *Vox sanguinis, &c.* Ergo Abel mortuus non est, clamat sanguis, ergo post tot mille sæcula huc usque vivit, superstes est; Quid Abel immortalem fecit? Quid Abeli tribuit vitam sine fine duraturam? Tribuit hanc Virginitas, castitas: Abel castus, impollutus, Virgo est; *Virginitas, & intermerata Castitas, mortis imperium ignorant, Castitas Privilegio gaudet, ut nesciat interitum, ignoret occisionem; immunis à morte, adhuc post mortem perhibetur, & virtutis functiones neque ipsa mors finit, quia Virginum prerogativa est, mortis Dominio non subijci.* Ita perorat doctissimus de Padilla Annot. 11, in Habacue cap. 3. v. 15, discursu 6.

CONCEPTUS II.

Herodes audiens mirabilia opera Christi, inquit: *Joannes Baptista resurrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo.* Marci cap. 6. Quid loqueris Herodes? utique in disco Joannis caput, cadaver exanime, prostratum super pavementum conspexisti? Unde ergo Joannem Baptistam vivere, asserere, & concludere potes? *Virtutes operantur in illo*: Joannem Baptistam Virginitatem, & Castitatis propugnatorem noverat Herodes, adhuc tinnunt Regi aures, super Virginis imperterritæ voces: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Prudenter ergo infert Rex: Joannes Baptista non est mortuus, sed adhuc vivit, *virtutes operantur in illo*; Virginitas immunis à morte adhuc post mortem perhibetur, & virtutis functiones, neque ipsa mors finit.

M

CON-

CONCEPTUS III.

Josue magni Ducis populi Judaici nullus factus est funeris apparatus, nullus luctus, nullus planctus, cum tamen Jacob fetu 70. Aaron, & Moyfes 30. dierum, Samuel quoque planctu magno sepultus sit; cur similis luctus, planctus, in funere Josue non est institutus, & celebratus? annon ultimum funeris honorem, & communem planctum JOSUE meritus est, qui tot cruentis proeliis, pro incremento populi Israelitici, vitam generosè prostituit, gloriosè hostes prostravit, Reges & Imperia, Dominio, & Imperio Judæorum subjecit? cur ergo ultimum funeris honorem, luctum, & planctum non exhibent? num fors mortuum non existimant? hinc funebri apparatu, ac luctu non indigeat, qui adhuc vivit & perennat? Ita subscribit S. Hieronymus lib. I. adversus Jovianum: *Moyfes moriens plangitur à populo Israël: Josue autem quasi victurus non plangitur; nuptia enim finiuntur in morte, Virginitas post mortem incipit coronari, immortalis est enim memoria illius.* Ex his Verbis Sancti Hieronymi eruitur, Josue vixisse castum, vixisse Virginem; castam Virginem non plangunt mortuam Judæi, cum hæc post funera vivat: Augusta immortalitatis corona redimitæ Virgines perhibentur, injurias mortis non sentiunt.

CONCEPTUS IV.

Intellecta morte Lazari fratris Marthæ & Magdalenæ, dicit suavissimus Dominus ad discipulos suos: *Lazarus amicus noster dormit.* Joann. 11. Idem dicit Salvator noster de Filia Principis, Matth. 9. *Non est mortua puella, sed dormit.* Dormire actus viventis est, ac in vita existentis, ex mente Theophylacti loquor: *Vide, quomodo Dominus quamvis mortuo Lazaro dixerit quasi ad viventem.* Revera, Lazarus, & Filia Principis occubuerunt, exspirarunt, mortui sunt; si revera mortui, quomodo salvatur Verbum Christi, qui & Lazarum & Puellam dormire dicit, dormire inquam, quod est vivere? Respondet de Lazaro Theophylactus: *Etiam vivebat Christo:* de Filia Principis scribit Josephus Mansi, in *Ærario Evangelico,*
Domi-

Dominica 23. post Pentecost. cap. 9. Matth. v. 24. Num. 12. *Filia hæc, etiamnum ætatem agebat innocentem*: Duo hæc Doctorem assumo asserta: Lazarus vivebat Christo: Filia Principis innocentem agebat ætatem, ergo ambo casti, ambo Virgines, Virgines, castos, dormire dicit Christus, dormire, id est: Vivere, *immortalis est enim corona illius.*

CONCEPTUS V.

De Matribus innocentium Pusionum ab Herode crudeli ferro interemptorum scribit S. Matt. cap. 2. *Noluit consolari, eò quod non sint*: Interrogo ego, quid non sunt? an non occisi & interempti Filii? an non sunt mortui chari Pusiones? non sunt mortui; vivunt & cursitant lætabundi cum Duce Jesulo in cœli atrio gratiosi parvuli: ita subscribente S. Chrysostomo hom. 3. *Noluit consolari, quia non erant mortui, qui mortui reputabantur, consolatio autem rei amissa, & non aucta, erat præstanda.* Quid Pusiones delicatulos fecit immortales? digito indicat S. Joannes in Apocalypsi cap. 14. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinguinati, Virgines enim sunt.* Immortalitas Virginitatis est aureola.

CONCEPTUS VI.

Prohibuit DEUS Levitici cap. 21. *Ad omnem mortuum non ingredieris omnino.* Moyses egrediens ex Ægypto in terram promissionis, ossa Joseph secum exportavit: *Tulit ossa Joseph secum.* Exodi cap. 13. *Quæstio oritur, an Moyses Legem Dei non fuerit transgressus? ad omnem mortuum non ingredieris omnino,* cum demortui ossa Joseph ante numerosum exercitum deportari instituerit? S. Isidorus Pelusiota respondet, Moysen minimè Legem Dei violasse, licet mortui ossa Joseph in publico statuerit, & deportari fecerit; causalem addit citatus Isidorus: Lib. 4. ep. 157. scribens: *Eum, qui Castitatem coluit, pro mortuo non haberi.* Convenienter dicitis Divi Apostoli ad Galatas 6. *Qui seminat in spiritu, de spiritu & metet vitam æternam.*

CONCEPTUS VII.

De Elia Propheta sacer textus habet: Tulit eum Dominus; curru igneo raptus ad Paradisum, lege lib. 4. Regum cap. 2. ubi tot mille sæcula vivit incorruptus: causalem diuturnæ vitæ dicit S. Ambrosius: *Virginitatem semper coluit.* Unde de Virginitate perorat citatus Pater: *Quid est Castitas Virginalis? nisi experta contagionis integritas.* Lib. 2. de Virginitate Perclarè Sanctus Basilius lib. de vera Virginitate: *Magnum quiddam, & præclarum Virginitas est, que, ut totum simul explicem, hominem incorruptibili Deo simillimum facit: hæc autem profectò non à corporibus ad animas manat: sed cum incorporalis anima propria, & præcipua sit, ejus pretiosissima integritate corpora quoque incorrupta servantur.* Testimonium fert Gerundæ corpus S. Narcissi jam ultra 13. sæcula incorruptum, Corpus Sancti Aldegaris jam ab annis quingentis; Francisci Seraphici Assisi tot pariter sæculis illibatum corpus: Corpus B. Catharinæ Bononiensis jam tribus sæculis incorruptum residens, cui capilli & unguis fectiles succrescunt: ut in Petra Sancta refertur.

Epilogus.

Hortor ergo cum S. Paulo 1. ad Timoth. c. 2. *Vitam agamus in omni Pietate & Castitate, hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro DEO, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*



IN

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

CONCIO SECUNDA.

Hic est Discipulus, quem diligebat JESUS. cap. 21. Textus.
DEUS erga hos, gratiis, & donis est munifi- Thema.
 centior, qui in virtutibus sunt perfectiores.

DE S. Joanne Evangelista inquit S. Petrus Damianus, Exordium.
 serm. 2. de S. Joanne Evang. *Privilegio amoris præcipui,*
cæteris altius à Domino meruit honorari. Altitudinem
 honorum describit Doct̃or eximius S. Thomas à Villa
 Nova: *Omnium dignitatum titulos, omnes gratias & honores,*
quos per alios domus sue famulos, & officiales sparsim dirigit, in
hoc uno plenius accumulavit, & acervavit. Hic Apostolus, Prophe-
ta, Evangelista, Martyr, Confessor, Virgo, Doct̃or, Cognatus, Ami-
cus. Et si quid aliud in Ecclesia dignitatis & gratia est, totum per-
fectissime possidet. Quæris fors causam, cur præ cæteris, Apo-
 stolus Joannes honoratus, & gratiis cumulatus sit? Respondet
 Damianus serm. 21. *Quid in Virtutibus, quid in meritis, quo bea-*
tissimus Joannes incomparabiliter non excellat: Apostolus siquidem
in Epistolis, Evangelista in Evangelio, Propheta in Apocalypsi. &c. Patres.
 Audiamus Patres de Joannis virtutibus differentes: Joannes
 innocentissimus, simplicissimus omnium erat, & ideo diligebatur.
 ita Theophylactus, super illa Verba: quem diligebat JESUS.
 Dilectior à Deo ob plenitudinem Sapientia celestis, ita S. Bonaven-
 tura. Diligebat, specialia ei dilectionis signa ostendendo præ cæte-
 ris, propter mundiciam virginalem, ita Lyranus. Moyses dilectus
 propter mundiciam puritatis, quia virgo est electus à Domino. ita S.
 Thomas. Merito dilectus à Deo, ob integritatem Sacrae Virginitatis. ita
 S. Bonaventura; omnes in illa verba: quem diligebat JESUS: & alia-
 rum virtutum perfectionem, S. Joannis, audiatur Albertus Magnus,
 M 3 cap.

cap. 13. Joannis: *Disciplinā charitatis, & mansuetudinis, & humilitatis Christi, perfectè fuerat imitatus. Omnes sensus moderatur, & c. tali utendo alimenti ratione, ut summa parsimonia vivere duntaxat posset, sacrumq; corpus ut subsisteret conservare; ita de jejunio & abstinentia Joannis, Surius in vita S. Joannis: Igneam charitatem deprædicat Damianus. ser. 1. de S. Joanne: Tantā cor ejus etiam circa fratres charitatis gratia repletum erat, ut sacro sanctum pectoris ejus templum, velut caminus quidam divini videretur incendii, & c. Perfectus ergo in omni virtute Joannes, hinc à Deo dilectior, super ceteros omnes Apostolos, gratiis, & donis cumulator. Ex hinc hoc Thema eruo: Qui homo est in virtute perfectior, erga eum est Deus gratiis & donis cumulator. Audiamus Scripturam: Spirituum ponderator est Dominus Prov. c. 16. Etenim benedictionem dabit legislator, *ibuht de virtute in Virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Canit David Ps. 83. *Multam gloriam fecit Dominus Magnificencia sua à saeculo, & c. homines divites in virtute, & c. isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & c.* De perfecto in virtutibus inquit Salomon Prov. cap. 3. *Longitudo dierum in dextera ejus, & in sinistra illius divitia & gloria.* Percipiamus & Patres: *Virtus gradus est ad gloriam, Virtus Mater gloriæ est.* S. Bernardus scribit S. Bernardus serm. de Natal. S. Viç. *Merces sua, Virtuti non derit,* Cassiodorus in Ep. *Qui Major honor potuit homini esse, quàm ut ad similitudinem sui factoris conderetur, & iisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus conditor, de quo legitur: Dominus regnavit, decorem indutus est, id est: omnium virtutum splendore, & totius bonitatis decore, ornatus.* S. Ambrosius de dignitate hum. condit. *Non aspicitur, ex quo quis vocatus est, sed quantum operatus est.* Origenes hom. 10. in Matthæum. *Divina gratiā in materiam hanc Conceptus dabo.**

CONCEPTUS I.

Post S. Petrum omnibus Apostolis præfertur S. Paulus, donis & gratiis didatur: *Raptus in tertium Cælum audivit arcana Verba, & c.* 2. ad Corinth. cap. 12. De S. Joanne Baptista inquit æterna Veritas, Matth. cap. 11. *Non surrexit major Joanne Baptista, & c.* Major hic Patriarchis, & Prophetis est, quem honoratissimo Angeli titulo Christus veneratur: *Ecce ego mitto Angelum meum*
ante

Sacra Scri-
ptura.

Patres:

S. Bernardus

Cassiodorus.

S. Ambrosius

Origenes.

ante faciem tuam, qui preparabit viam tuam ante te. eodem. S. Andreas prior est vocatus in Apostolum, quam S. Petrus, ut liquet ex verbis Joannis cap. 1. *Invenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei, invenimus Messiam, & adduxit eum ad Jesum.* Et tamen ordine S. Andreas factus est secundus; Ut eleganter desuper S. Damianus scribit: *Quid magis stupeas, in fide primus Andreas, factus est ordinis dignitate secundus.* Cur quæso, Deus Paulum post Divum Petrum super omnes evexit Apostolos? innumeris, & extraordinariis donis, ac gratiis cumulavit? Dico ideo, ob virtutum profectum: audiatur ipsemet SANCTUS: *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus:* 1. ad Corinth. c. 15. O profunda humilitas Pauli! quem Deus vas electionis intirulat; ipse se minimum, indignum deprædicat! & iterum inquit: *Gratia DEI in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus illis laboravi.* Ecce Virtus ferventis & indefessi Zelûs: intuere & patientiam: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius: in plagis supra modum: in mortibus frequenter, A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi, ter virgis casus sum; semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronû, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore & ærumna, in vigiliis multis, in frigore & nuditate; præter illa, qua intrinsecus sunt instantia, mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum.* 2. ad Cor. 11. Quid Joannem Juvenem grandiolem effecit Patriarchis, & Prophetis? effecit virtutum perfectio: vide summam abstinentiam: *Venit Joannes neq, manducans, neq, bibens.* Matth. 11. vide profundissimam humilitatem: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti,* Joan. cap. 1. Quid tandem prætulit Petrum fratre Andrea? prætulit virtutum perfectio; unam vivacissimam fidem, testem produco: *Tu es Christus Filius DEI vivi,* Matth. c. 16. discamus hinc, qui in virtutibus sunt perfectiores, & ditiores, hi sunt etiam donis & gratiis DEI cumulatiores.

CONCEPTUS II.

Joannes cap. 5. scribit quod ad Piscinam illam prodigiosam multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum jacuerit
ex-

expectantes aqua motum, Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & movebatur aqua. Quæstio est, Quis primus sanabatur? an fortè is, qui primus advenerat, qui diutius ad piscinam jacuit? minimè; *Qui prior descendisset in piscinam, sanus fiebat.* Qui ferventior, diligentior, attentior, observantior, celerior erat, hic gratia curationis fruebatur. Piscina hæc figura est inexhausti fontis divinarum gratiarum, qui morum integritate, virtutum perfectione, intensione, opulentior est, in pietate ferventior, in charitate ardentior, in operibus misericordiae intensior, in humilitate, profundior, in vitæ innocentia integrior, erga hunc divina gratia est profusior. Videamus exemplum Matth. cap. 9.

CONCEPTUS III.

Accessit Christum Princeps quidam, rogans, ut servaret filiam, quam desperârunt medici. Exorari se passus JESUS domum ejus petere cœpit, sed cum per viam incidisset in hæmorrhoidiam, primum ejus sanguinè stitit; in hoc rerum eventu tale quid observat S. Joannes Chrysostomus: *Cum ultima venisset, prima curata recessit;* Mulier fluxum sanguinis passa licet tardior Principe JESUM accessisset; Principi tamen præponitur, prior curatur, prior gratiâ sanitatis donatur, quâ causâ? Notate Auditores: Princeps *Jayrus* dictus est, quod idem sonat, quàm *languidus*, certè languida fides, quæ putabat non posse sanare Christum Filiam, nisi ubi præsens esset corpore, ac propterea dicebat: *Veni!* At mulier solo tactu curare posse Christum credebat, viva, & fervens erat fides mulieris: *Dicebat intra se, si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* Pulchrè S. Chrysost. desuper: *Etsi aegritudine tardabatur, fide tamen & voluntate volabat.* In fide ergo quia virtuosa magis erat mulier, perfectior, vivacior; fuit & erga eam Christus promptior, gratificandi paratior; documentum, quo quis perfectior virtute, moribus integrior, innocentior, eò largius, citius, promptius, cumulatius Deus erga similem gratiarum dona diffundet, Vivum rei exemplum produco Josephum Ægypti servatorem.

CONCEPTUS IV.

Josephum, bonus senex Jacob, filium accrescentem intitulat: *Joseph Filius accrescens*, Genes. 49. cap, crescens inquam; ac proficiens in virtutibus, & optimis moribus; crescens in admiranda obedientia, qui etiam cum vitæ manifesto periculo, ad jussu Patris respon-

respondet: *Præsto sum*, Genes. 37. Ob invidiam fratrum se non excusans, & victimam se immolans; crescens in vitæ innocentia, & integritate: qui, *relictus in manibus ejus* (pellicis inquam) *pallio, fugit, & egressus est foras*. Genes. cap. 39. crescens in pietate & justitia: quia 80. ferme annis cum laude toti Ægypto præfuit. Hunc Josephum, obedientissimum, castissimum, justissimum; quem Pater suus ac crescentem exinde vocabat; *Augmentum* intitulat quidam sacer Scriptor: *nè dubites augmentum interpretari*. Quasi sit hæc infallibilis Consequencia in Schola Christi; crescit, proficit quis in virtutibus; augebitur & divinis gratiis, ac donis; crevit in obedientia Joseph: & meruit Patrem habere Deum sibi addictissimum: *descendit cum eo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum; donec afferret illi sceptrum Regni*. Sap. 10. Crevit in fidelitate Joseph erga Phutifar: *Et invenit gratiam Joseph coram Domino suo, à quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum*: Crevit Joseph in patientia, virtute, carceres & vincula innocentissimè perferendo: & augmentatus est ad summos honores: *Dixit ergo ad Joseph, Rex inquam Pharaos: Tu eris super domum meam: & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Uno tantum regni solio precedam te. Dixitque rursus Pharaos ad Joseph; ecce constitui te super universam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus, vestivitque eum stolâ byssinâ, & collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum; clamante pracone: ut omnes coram eo genu flecterent*. Argumentum, qui crescit in virtutibus, crescit apud Deum in gratia, proficit donorum cœlestium magnitudine.

CONCEPTUS V.

Lucas cap. 2. de Salvatore nostro scribit: Proficiebat, quomodo profecerit, dicit Suarez 3. part. quæst. 7. Exercebat majores actus modestiæ, maturitatis, prudentiæ, castitatis, pietatis, & aliarum virtutum: & sequitur: *Gratia apud Deum, & apud homines: discamus iterum: virtutum profectus, est copiosæ gratiæ certus effectus*.

N

CON-

CONCEPTUS VI.

Christus in ultima Cœna corpus suum sacratissimum inter cœtera fercula, & cœnam communem, discipulis suis manducandum tradidit; ita Matth. cap. 27. *Cœnantibus illis accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: accipite & comedite; Hoc est corpus meum.* Sanguinem vero suum pretiosissimum, Christus Apostolis suis bibendum dedit post cœnam: ita Lucas cap. 22. *Similiter & calicem postquam cœnavit.* Quod Christus carnem suam esculentis cœteris cœnæ communis miscuerit, sanguinem verò segregarit, & servaverit, ut post cœnam propinaretur, indicio esse videtur, quod majori honore, & precio sanguinem habuerit, quàm carnem; quæ hujus ratio est? Attendite quæ dicam: Dum Christus ad passionem iret, ipsemet fatetur, Matth. 26. *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma:* Hoc est: Caro pati fugiebat, declinabat, detrectabat, tormenta instantia, carni adversabantur; e contra sanguis ubertim magnâ vi & copia ex sacratissimis venis erumpebat: *Factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis, decurrentis in terram.* Erumpebat sanguis, quasi quod caro fugiebat, ille cupidissimè anhelabat, pati ultrò querebat, zelabat; sanguis ergo, qui præ carne Christi voluntatem Patris cœlestis adimplere fervebat, præ carne Christi, pati fugiente in ultima cœna honoratur, ac colitur, majori in reverentia habetur, observatur. Iterum documentum; perfectioni, ac rei virtuosæ intensiori, certa est ac specialis donorum, & gratiarum divinarum remuneratio.

CONCEPTUS VII.

Heli summus Sacerdos, divino monitu Samuelem adhuc qua puerum Ephod vestivit. Ita 1. Reg. cap. 8. *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, Puer, accinctus Ephod lineo.* Theodoretus scribit, Ephod vestem fuisse Sacerdotis, & non Levitæ, qualis tunc Samuel erat: quæstio exindè oritur, cur Samuel adhuc Levitæ, imò puer, jam sacerdotali veste, & amictu Ephod, donatur; citatus Doctor quæst. 8, respondet: *Est verisimile, quod Heli, cum in Samuele florentem divinam gratiam vidisset, etiam admodum juvenem eo honore impetivit.* Samuel adhuc puer, & initiatus Levitæ, tamen

tamen in Spiritualibus, & Ecclesiasticis functionibus perfectissimus jam erat; timebat Deum summoperè; colebat intensissimè, vivebat innocentissimè. Hunc ergo tam virtuosum juvenem, Heli jam vestit sacerdotaliter; indicans: virtutum, & morum gradus, summo quoque gradu gratiarum, & divinarum copiis præmiare Deum.

Matthæus Baldanus eques Lucensis, ut refert Hieronymus *Epilogus*, Ruscellius lib. symbol. Symboli loco pinxit sibi cornicopium dives opibus, eas largiter super rosam centifoliorum effundens; hac inscriptione: *perfectis abundè*. Cornicopium hoc, divina est bonitas, inexhaustus gratiarum Oceanus, Rosa centifoliorum, sunt in virtute proficientes, in vitæ innocentia gradientes, super hos cornicopium gratiarum largiter, & prodigiosè effundit divina Bonitas. Ut & nos exinde thesauros gratiarum capiamus, perfectioni virtutum, & vitæ innocentiae studeamus.

Amen.



N 2

IN

PRO FESTO S. JOANNIS
EVANGELISTÆ.

CONCIO TERTIA.

Textus. *Hic autem quid?* Joan. 21. cap.

Thema. Vicissitudo rerum continua in mundo est: qui in humili loco jacet, in altum honorum exurgere potest, & qui in sublimi sedet, ruinæ, & casus periculo, expositus est.

Exordium.



Questio orta est inter Proceres Magni Darii Regis, quis eorum apud Regem maximè in gratia esset? Dum intentissimè responsioni aures præbent, ecce Clodius unus ex Aulicis inter amplexus regis conspicitur, concludunt ergo. *Clodius omnium major est, quia Casarem tangit*; S. Joannes Evangelista in Collegio Christi, ille est; quem præ omnibus Apostolis complectitur, stringit, diligit IESUS: *hic est discipulus, quem diligebat IESUS: qui & in cæna recubuit super pectus ejus*, Joan. 21. Concludo ego, Joannes Evangelista ergo Iesu inter omnes Apostolos charissimus, in gratia Christi radicans, stabilitus est. Sic Christo annuente: *Sic enim volo manere*. Charissimum, gratiosissimum inquam: de tam charo, dilecto, gratioso, tamen S. Petrus interrogat: *Hic autem quid*: quasi stabilitatem disputat; possibilem fortis mutationem annuit; omni homini tacitè indicando: Nemo in hac vita nimium fidat gratiæ, quæ apud Magnates valet, desinere enim facilè potest. E contra, animo nõ deficiat, qui adversa patitur, extrema enim pauperies, in supremum felici-

felicittatis cacumen conscendere valet: Ubiquè, in omni statu, experitur inconstantia, & mutabilis rei vicissitudo. Audiamus SS. ^{Textus S. Scripturae} Scripturam: *Nunquam in eodem statu permanet.* Job. cap. 13. *Pauperem facit, & ditat: deducit ad inferos & reducit.* 1. Regum 2. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum letitia.* Ps. 29. *Hunc humiliat, hunc exaltat.* Pl. 72. Audiantur Patres & veteres ^{Patres & veteres sapientes} Sapientes: *Sapè honor saeculi abiit antequam venit, quid enim saeculi potest esse diurnum, cum ipsa diurna non sint saecula;* Ita perorat S. Ambrosius in caput 4. Lucæ. *Qui heri in tribunali sedebat sublimis, qui praefatos habebat voce magna clamantes, & multos praefatores, & in foro se sequentes, hodie vilis & abiectus, & his omnibus spoliatus, & nudus, instar pulveris excussus, & unda profluentis se habet.* nervosè scripsit Sanctus Chrysostomus homil. 7. s. ^{Chryso.} Colos. unde homilia 8. in Matth. confirmat: *Deus mastris rebus quadam jucunda permiscuit, quod certè in Sanctis omnibus facit, quos nequè tribulationes, neque jucunditates sinit habere continuas.* Eleganter scribit S. Gregorius Nazian. ^{S. Gregorius Nazian.} Oratione 43. *Uni cum temporis momentum, multas temporum mutationes vehit.* Et iterum lib. 2. de Theol. *Hac est lex universi; nasci, mori, surgere, languere, &c. successione ista aeterna.* Peraccommodè scribit Procopius lib. de bello Van. ^{Procopius} *Fortune commutatio, res etiam destruit benè constitutas.* Verè cecinit Lucanus, ad Pisonem: ^{Lucanus} *Vices natura subit, variataque cursu ordinat.* Bellè Plautus in Amphitrione: ^{Plautus} *In hominum aetate multa eveniunt; hujusmodi capiunt voluptates, mox iterum miseria:* Optimè concludit Seneca ^{Seneca} in Thyeste actu 3.

*Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem,
Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora, lapsus.
Miscet hac illis, prohibetque Chloto
Stare fortunam, rotat omne fatum.*

Et Plinius monet, lib. 4. ep. 24. *Nulli rei fidendum, nihil trem de- Plinius
sperandum.* Vicissitudini omnis status subjacet, ut Conceptibus
deducam.

N 3 Con-

CONCEPTUS I.

Confirmatio. S. Augustinus lib. 5. de Civitate Dei cap. 11. scribit, Romanos duo delubra ædificasse; quorum unum Volupiam, id est, bonæ fortunæ, consolationis, prosperitatis; Alterum Angaronam, id est, adversitatis, tristicæ, luctûs templum vocabant; arctissimè hæc duo templa conjunxerunt, ut qui uno pede contingeret faciem Volupia, bonæ fortunæ, prosperitatis, altero pede jam calcaret templum Angaronæ, adversitatis, tristicæ, & luctûs; per hanc Angaronæ & Volupia nimiam conjunctionem, rerum humanarum inevitabilem vicissitudinem, indicantes; nempe bonam fortunam ad calcem sequi adversa; & hæc meliora, in praxi hoc videre est in vitæ cursu Salvatoris nostri. Vilipenditur, inquietatur ab ipso Sathana: *Tulit eum Diabolus*, Matth. cap. 4. subsequitur huic vilipensionis honor & gloria: *Clarificatus est*: Matth. 17. honori subsequitur nova contumelia; dicebant; *In Principe Demoniorum eiecit Dæmonia*, Luc. cap. 11. Ad hanc contumeliam indignis offertur honor: *Ut facerent eum Regem*, Joan. cap. 6. mox iterum ignominia afficitur, *Elevantes lapides, ut jacerent in eum*, Joann. cap. 8. clamant Judæi, glorificantes Jesum: *Osanna fili David, benedictus, qui venit &c.* Lucæ 21. Quinta die desuper unum ore condemnant, infami ligno adjudicant: *Crucifige crucifige eum*, Matth. 27. Ecce vicissitudo; vix uno pede Christus tangit Volupiam, bene habet; altero pede premit Angaronam, male sentit; ergo hinc tristitia, tristibus læta subsequuntur: Verissimè Chrysofostomus *Tum ex adversis, tum ex prosperis justorum vita.* &c. Ezechieli hoc mysticè indicatum est.

CONCEPTUS II.

Ezechiel cap. 2. enarrat: *Vidi, & ecce manus missa est ad me, in qua erat involutus liber, & expandit illum coram me, & scripta erant in eo lamentationes, carmen, & v.a; &c. comitatum volumen istud.* Quid significat, quod Propheta jussus sit comittere librum, in quo scripta erant lamentationes, & carmen? S. Hieronymus

ronymus in hunc locum per lamentationes intelligit tristitia, ad-
versa; per carmen, jucunda, prospera, per væ ex ipso nomine,
fatalia signantur; volumen mixtum vicissitudine, jam tristium,
jam prosperorum eventuum, Propheta comedere iussus est, ut no-
scamus, cursum vitæ humanæ; rerum vicissitudine, varietate
misceri, lætis, prosperis, tristitia, his iterum favorabilia,
succedere. Ex Genesi cap. 1. patet Veritas.

CONCEPTUS III.

Hic inquit Sacer Textus: *Et factum est vespere & mane dies
unus.* S. Gregorius Magnus, lib. de natura, per mane intelli-
git vitæ humanæ prospera, per vesperum verò infortunata: scia-
mus; ab aeterno jam ordinasse DEUM, ut vitæ hominis cursus,
in mane & vespere, in vespere & mane revolvatur, prosperis ad-
versa, adversis prospera succedant: Audiamus verba Magni Do-
ctoris: *Hæc enim duo ad invicem sibi contexta, & sibi perpetuo
coeterna sunt, ut læta tristibus, infelicibus prospera succedere so-
leant, & felicium, atque infelicitum mixtura semper quadam sit.*
Huc intendit Job, dum prædicit:

CONCEPTUS IV.

Militia est vita hominis super terram. Job. cap. 7. quare
militia? Liber secundus Regum cap. 11. respondet: *Varius est even-
tus belli, nunc hunc, nunc illum consumit gladius.* Nunc victores,
brevi victos, atque iterum vincentes legimus Romanos; Milites
nunc abundare, nunc quod maximè indigere; nunc dominos im-
perare, brevi sclavos inservire, fortuna iterum liberos, expe-
riencia novimus; militia ergo vita hominis est super terram:
nempe qui abundat, indigere potest, & qui indiget abundare.
Dominos servire, & servos dominare, vicissitudo docet, quod ve-
stis Joseph indicat.

CON-

CONCEPTUS V.

Jacob Joseph filio suo vestem polymitam curavit, *Dedit ei vestem polymitam, id est variam*; Genes. 37. cur vestem varii coloris? an varii colores fortis vicissitudinem, & mutationem præfigurabant? ita S. docet Chrysostomus hom. 8. in Matth. cap. 2. *Dedit ei tunicam polymitam, id est varii coloris, latis tristitia permiscetur.* Colorem album prosperitatis, secutus est color niger adversitatis, & vice versa; ut copiosè liber Genes. plurimis capitulis enarrat: Joseph ocellus Patris, qui domi vixit in deliciis, odio fratrum, sclavus, & exul, victitat in miseriis. Favor Phutifaris lenit morem, mox malitia mulieris duplicat dolorem. Infamis nunc trahitur in plus quàm rusticam caulam; ex hâc honoratus Princeps, ascitur in Aulam. Perpulchri desuper Rupertus Abbas lib. 8. in Genes. cap. 40. *Pro compedi- bus, in quibus humiliaverunt, pedes ejus, torquem auream suscepit; pro pallio, quo in manu adultera nudus effugit, stola byssina Deo duce indutus est; pro servuli nomine, regium gessit annulum, & pro carceris humilitate super altum sedet imperii currum.* Latis tristitia, his læta permiscetur.

CONCEPTUS VI.

Apocalypsios cap. 1. D E U S Joanni apparuit in tali forma; *Capilli ejus candidi tanquam lana alba, & tanquam nix*; quæ comparatio lanæ & nivis? nix, & lana non conveniunt, lana enim calefacit, frigus nix causat, quid ergo mysterii latet sub hac metaphora? *Capilli ejus candidi tanquam lana alba, & tanquam nix*: Mysterium detegit Abbas Joachim in locum hunc, per capillos in capite D E I, divinam providentiam, & gubernationem universi designans, in divina Providentia simul stant, & cohærent, lana & nix, calor & frigus, calefacit te hodiè D E U S lana prosperitatis, noli extolli, cras potest te frigefacere nix miseriarum, & econtra; frigefacit te D E U S hodie nive miseriarum.

seriæ, noli desperare, cras potest calefacere te DEUS lanâ prosperitatis, apud DEUM enim, & in ejus providentia, *Simul in unum dives & pauper*, canit Regius Psalmista Psalmo 48. Academicus ingeniosè id ipsum symbolicè expressit.

CONCEPTUS VII.

Subtilis Academicus vitæ humanæ cursum, & sortem, si sursum, cœlum spectes, lunæ; Si deorsum cœlum aspicias, horologio solari comparavit, cur lunæ, & horologio? Lunæ S. Isidorus libro de mundo cap. 11. hoc symbolum subscribit: *Crescit ut desinat, desinit ut crescat.* Luna peragit cursum suum, jam accrescendo, & est tota luminosa, jam decrecendo, & est tota tenebrosa: sic evenit cum forte, statu, & conditione hominum, crescendo desinant, desinendo crescunt. Superviximus homines totos in lumine; totos fortunatos; apud Principes in gratia, maximos, & primos in Aula, brevi vidimus totos nigros, & tenebrosos; exutos fortunâ; dejectos gradu honoris, expulsos Aulis; ast iterum è tenebris persecutionum, creverunt in lumen melioris fortunæ, & prosperitatis; è Sanctis, testis est Eustachius: Erat hic supremus belli Dux, mox dejectus ruri villicus; iterum ad gubernacula assumitur, manè Triumphator gloriosus honoratur, vesperi, ut perduellis crematur, modò æternum coronatur. O variabilis rerum immutatio ac vicissitudo! crescit homo ut desinat, desinit ut crescat. Hinc & horologio noster Academicus sortem & cursum vitæ hominis comparat, & peraccommodè: sunt enim in homine quinque sensus quasi ordinatissima rotæ, est mordax conscientia, infallibilis index, qui in Davide Adultero quartam: *Tues ille vir*, demonstravit, horologio doctissimus Certanus hoc subscribit symbolum: *In Sole, & Umbra*: Horologium Solis lumine, & Umbra radio dirigitur. An non benè mundi prospera, Solis lumen, adversa verò Umbram dixerit; cursus ergo vitæ hominis ut horologium in Sole & umbra consistit; per prospera & adversa, per adversa, & prospera homo ad ultimum suum centrum, quod DEUS est, deducitur.

de-

devolvitur. S. Paulus tessis fit 2. ad Corinth. cap. 6. *Per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam*, id est, uti exponit S. Hieronymus in Ezech. *per laudes & vituperationes, per prosperitates & tribulationes.*

CONCEPTUS VIII.

Communi Doctorum consensu, Mundus est rotundus; in rota videmus, quod modò superius stat, in iclu oculi inferius jacet; & iterum quod inferius jacuit, stat superius; si rotundus est mundus, ergo homo in mundo quasi in rota existit; si in rota, ergo continuæ mutationi fortis, vicissitudini permixtæ subjacet, jam superior, jam inferior, jam Dominus, paulò post servus homo factus est, & fieri est possibile; causam dat Anselmus, *ut nec prosperi elevemur, nec turbemur adversis, aut desperemus*; Christus Salvator noster desuper eximie nos instruit.

CONCEPTUS IX.

CHRISTUS JESUS homo mortalis passibilis, patiper, vilipensus; tamen in monte Thabor clarificatus, gloriosus apparuit, Matth. 17. *Clarificatus est ante eos, & splenduit facies ejus sicut Sol, &c.* Post devictam mortem, CHRISTUS æternum gloriosus, impassibilis, apparet Magdalene in forma laboriosi hortulani Matth. cap. 20. Item tribus discipulis peregrinantibus in Emaus, apparet in figura indigentis peregrini, Lucæ 24. *inxit se longius ire.* Cur CHRISTUS in vita hac mortali clarificatus, gloriosus; post mortem in æternum nunc clarificatus gloriosus; indigens peregrinus, laboriosus hortulanus apparere voluit? Gregorius inquit: CHRISTI actio est nostra instructio: hæc ergo CHRISTUS per recitatas apparitiones nos instruit: In vita vilipensus, hocci habitus, apparet gloriosus, clarificatus;

ficatus ; pauper & miser homo, in advertis ne desperet, est enim possibile, ut abjectissimus clarificetur ; felix fortunatus fiat ; econtra felicissimus nunc æternum CHRISTUS apparet miser, indigens, laboriosus ; felix tu mundi Alumne ne superbias, est enim etiam possibile, ut felicissimus ad incitas redigatur, olitorem agere, exul Patria, peregrinari cogatur : ad *maiores Esau* dictum est, *serviet minori* Genes. cap. 25. item Pl. 108. *Et Episcopatum ejus accipiet alter* ; Saul contra minimus inaudit : *Caput in sribubus Israel factus est.* 1. Regum 15.

Hanc certam rerum vicissitudinem, status, & sortis humanæ mutationem continuam, O utinam vivaciter Christianus comprehendat ! Fortunatus qui est, casum possibilem cogitaret, fieret enim, ne tumidus insaniret superbia ; econtra infortunatus qui vivit, post nubila adhuc semper Phœbum luxisse recogitaret ; fieret inde, ne abjecto animo turpiter desperaret, sed in Deum intentus meliora speraret. Cum scriptum legamus : *Ipse est qui deducit ad inferos & reducit ; 1. Reg. cap. 2. exaltat & humiliat* Pl. 112. *suscitans de pulvere egenum : & de stercore erigens pauperem.* Amen.

Epilogus.



O 2

JA-